11355/B A ix.c

~~Bay 177~~

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30530799_0007

ARTIS MEDICÆ
PRINCIPES.

TOMUS SEPTIMUS.

42880

ARTIS MEDICÆ PRINCIPES

HIPPOCRATES, ARETÆUS,

ALEXANDER, AURELIANUS,

CELSUS, RHAZEUS.

RECENSUIT, PRÆFATUS EST

ALBERTUS DE HALLER,

Præſes Societ. Reg. Scient. Götting. Sodalis Acadd. Reg. Scient. Pariſ. Chir. Reg. Gall. Imp. Berol. Suec. Bon. Arcad. Bavar. Soc. Scient. Britan. Edimb. Upſal. Bat. Botan. Flor. Helvet. In Senatu Supremo Bernenſi Ducentumvir.

TOMUS SEPTIMUS.

Verwijderd K. B.

LAUSANNÆ,

Sumptibus FRANC. GRASSET & SOCIOR.

MDCCLXXII.

Koninklijke Bibliotheek te 's Hage.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

ALEXANDRI TRALLIANI

DE ARTE MEDICA

LIBER NONUS.

JOHAN. GUINTERIO ANDERNACO INTERPRETE.

CAPUT PRIMUM.

DE AQUA INTER CUTEM.

AQUA inter cutem, quæ Græce *hyderos* dicitur, & ipſa longus quidam affectus eſt, ex jecore adeo refrigerato proveniens, ut ipſum non amplius deinceps cibos in ſanguinem, ſed in alienam qualitatem, aut in aquam, aut pituitam, aut flatum tranſmutare poſſit. Atque idcirco trifariam aquam inter cutem conſtitui diximus: ac vocant eam ſanè quæ a tenui & ſeroſo humore contrahitur, *Aſciten*: quæ vero a flatu in toto corpore generatur, *Tympaniam*: quæ rurſus a pituitoſo humore per totum corpus excitatur, *Ana ſarca*, alii *Leucophlegmatiam* ap-

pellarunt. Notum vero eſt, has quoque curandas eſſe ubi prius internoverimus, ſiquidem internotio rectæ curationis fundamentum eſt.

CAPUT II.

DE ASCITE.

ASCITES igitur inde internoſci debet, quod fluctuationes excitantur ex humore qui veluti in aſco ſ. *utre* quodam contentus circumvoluatur: Tympania autem, quod ubi nos ferimus ventrem, tympani modo ſtrepitum quendam elidere videatur: Anaſarcam vero hinc deprehenditur, quod æger *σαρκας. i. e. carnes* habeat emortuo corpori ſimiles, & totum corpus intumeſcat: ac ubi nos digito id imprimimus, cavitas oboriatur: quumque imprimere deſierimus, non ſtatim in priſtinum revertatur.

Cæterum ſingulæ hæ aquæ inter cutem ſpecies, aut primario affectu, aut conſortii lege fiunt. Nam ob lienem vitioſis humoribus præditum, maleque affectum, item ob colon, meſenterium, uterum, renes, veſicam, muliebrem fluxum, menſium retentionem, pulmonis refrigerationem, ſeptum tranſverſum, & multas alias partes, ſupervenit: quæ ſingula prius internoſcere convenit, deinde ſic curationem aggredi.

Quibus igitur aqua inter cutem refrigerato jecore aut pulmone oborta fuerit, hos ſimul tuſſis magna ex parte invadit, ipſique nihil notatu dignum exſpuunt, ſed irritantur tantum. Accidit etiam alvi retentio, quod inflammatio viſceris, humiditatem ventris exhauriat.

Veſicæ autem & meſenterii propria indicia erunt, nempe ventrem magis profluviis infeſtari, nec non corruptionibus continuis, & inteſtinorum roſionibus. Nam hæ, dum bilis excernitur, comitantur: gignuntur autem ipſis merito etiam bilis recrementa, dum cibi ab inflammatione inteſtina exercente evacuantur.

At eorum, qui ob pulmonis affectum aqua inter cutem laborant, indicia ſunt quod tuſſis potiſſimum excitetur, cor refrigeretur, totumque corpus & pedes ómnium maxime intumeſcant. Atque hæ aquæ inter cutem ſpecies tabidis potiſſimum obveniunt.

Diſcernes autem eos, qui ob lienem male affectum hoc morbo laborant. Jam alios quoque ob tabem hydropicos fieri, facilè deprehendes, ſi internoſcendi vias ac rationes frequenter ſequaris.

Curatio. Omnium curatio a vacuatione incipienda eſt, ſed aſcitis quidem dicti, aut tympaniæ, a ſola purgatione: cui autem anaſarca nomen eſt, is venæ ſectionem interdum requirit, ut qui ex ſanguinis frigidi copia naſcatur. Ac frigiditatis quidem ratione, illa non indiget: ſed quoniam copiæ detractio naturam levat, ut hæc minorem, illam affectam facile ſuperet, non alienum ſed rationi conſentaneum eſt, hic quoque venæ ſectione uti. Videmus enim quod etiam ignis externus, quum a lignis viridibus propemodum extinguitur, refocillatur rurſus, ſi illa quæ ipſum ſuffocabant auferantur. Hydropem igitur anaſarca & vena ſecta interdum & purgatione curare oportet.

Dicamus autem particularem quoque ipſorum curationem, & quando perfricare, madefacere,

cataplaſmatis obducere, & quando medicamentis & quibus poſt ſanguinis miſſionem uti oporteat. Nam ante omnem aliam curationem ipſa venæ ſectio, ut dixi, adhibenda eſt, ſi vires permittant. Si enim imbecilles ſint, tunc ſanguinis detractio vitari debet, etiamſi alias indigere videatur. Licet enim poſtea commode ſanguinem detrahere, ubi vires recreatæ fuerint, & copia vitioſi humoris paulatim aliis quibuſdam (præſertim hiera picra dicta) levata. Nam hoc medicamentum ſimul & aperire & corroborare viſcera poteſt, qua etiam re maxime indigemus. Poſt uſum vero eorum quæ aperiunt, & meatus ampliores efficiunt, materiamque fluxilem reddunt, tranſito deinceps ad ea, quæ paulo valentius purgare queant. At hoc non una vice faciundum eſt, ne vires dejiciantur. Etenim, quamvis id quod vacuatur recrementitium eſt, tamen univerſa ac ſubita mutatione magis offendit.

Satius idcirco eſt paulatim & tuto evacuare quam feſtinando perturbandoque, unà cum morbo etiam ægrum e medio tollere. Pulchre igitur purgant, ſambuci ſuccus cum condito potus, item lathyrides, & æris ſquama: verum nullum adeo ut illud quod recipit chameleæ foliorum, ſquamæ æris, & aniſi, ſingulorum drachmam. Dato ex aqua per initia quidem drachmam unam: viribus autem recollectis, etiam duas drachmas exhibeto, plus minuſve paulo, ac totum medicamenti modum, abſolutumque, ad vires reſpiciens, metire. Rurſus a purgatione illa porrigito quæ aperire poſſunt: maxime paſtillum qui ex amygdalis conficitur. Adeo enim hunc incipientes hydropicos aperire citra noxam vidi, ut con-

tinuo potus, jecoris ſcirrhos diſſoluerit. In hunc autem modum paratur.

Confectio.

Paſtilli ex amaris amygdalis: aniſi ſeminis, apii, amygdalarum amararum, abſinthii, gummi, ſingulorum drachmæ quatuor: aquæ quod ſatis eſt. Hoc ſane paſtillo ad obſtructiones ex craſſis viſcoſiſque humoribus contractas, & in quibus non vehemens aliquis dolor viſcus affligit, utitor.

Sin autem dolores aliqui inteſtina, ventrem & præcordia exerceant, etiam paſtillum *Amazonum* dictum præbeto. Etenim dolorem lenit, & vim aperiendi mitigandique obtinet. Crebrius autem in hujuſmodi, decocto ſeſelios utitor, aut caſiæ, aut ſpicæ nardi, aut aſari, & cataplaſmatis, quæ recipiunt farinam fœnigræci & hordei, abſinthiumque plurimum contuſum. Hoc namque ſuper omnia auxiliatur. Nam robur viſceri inſinuat, & humores in alto hærentes citra roſionem leviter deſiccat. Habeat autem & cuminum contuſum, aniſum, maſtichen, nardum Gallicam, rutæ ſemen, & mel. Semina in vino coquantur: ſic enim multo commodius erit.

Ubi jam viſcera emollita & rarefacta ad dies quinque aut ſeptem fuerint, utitor etiam epithemate quod mixtam habet facultatem, ut viſcus poſſit & firmare & emollire: ex quorum numero eſt & hoc quod iſta recipit: croci drachmas decem, aloes, maſtiches, ammoniaci, bdellii, ſingulorum drachmas octo: ſtyracis drachmas quatuor, ceræ drachmas nonagintatres, adipis anſerini drachmas ſedecim, hyſſopi liquidi drachmas triginta duas, Cyprini quod ſatis eſt. Sin autem

æſtas fuerit, & laborans aqua inter cutem febricitet, etiam roſaceum & vinum ſiccis in unitatem cogendis adjiciantur.

At ſi non ſolum jecur, ſed etiam lien & ſtomachus tumorem & duritiem habere videantur, detrahito cum fiducia paulum ſanguinis, præſertim ſi pravi quoque humoris copia in venis ſubſiſtat, & vires non adverſentur, ſed & æger vigentis ſit ætatis, & tempus non admodum frigidum. Sic vacuatio tentanda eſt, & adeo ſenſim, ut natura quæ à copia gravatur, reſpiret. Etenim animi defectiones, præterquam quod vires dejiciant, etiam aliam frigiditatem viſceri imponunt. Quare magnam & accuratam obſervationem habere convenit, atque ita ſanguinem hydropicis juvandi gratia detrahere audendum. Etenim intempeſtiva ſanguinis miſſio in aliis quoque periculum inducit: in hydropico autem interdum etiam mortem. In quibus igitur & maxima eſt obſtructio, & inflammatio ſcirrhoſa, viresque robuſtæ, in his vacuationem ſanguinis ante omnia alia præſidia, præſertim valentia, adhibeto: ex quorum numero etiam hoc exſiſtit.

Ad lienis & jecoris duritiem validum medicamentum.

Ammoniaci ſuffiminis, bdellii, iridis Illyricæ, ſingulorum drachmæ ſedecim: ſtyracis drachmæ octo, adipis vitulini drachmæ duodecim, opoponacis drachmæ octo, piperis grana centum ſexaginta, ceræ drachmæ quadraginta octo, olei irini fæcis quantum ſatis eſt: vini quod ſufficit. Non oportet autem emollientibus tantum medicamentis uti, neque diſcutientibus, ſed etiam iis quæ tumorem reprimere poſſunt. Scriptura eorum in

hunc quoque modum ſe habet: ceræ drachmæ centum nonaginta quinque, picis aridæ drachmæ centum nonaginta ſex, aluminis liquidi drachmæ nonaginta ſex, aloes drachmæ quadraginta ſex, nitri, mannæ, thuris, ſingulorum drachmæ nonaginta ſex: pyretrhi drachmæ viginti octo, ariſtolochiæ drachmæ viginti quatuor, ammoniaci totidem, cardamomi drachmæ viginti octo, viſci quercini drachmæ viginti quatuor, olei totidem, aceti quod ſatis eſt. Itaque cataplaſmata & epithemata hujuſmodi iis adhibeantur, qui aqua inter cutem, quæ anaſarca dicitur, laborant, ita ut viſcera eorum diſtenta ſint, & obſtructionem duritiemque maximam experiantur. In quibus igitur moderata eſt obſtructio, bene facere diximus paſtillum ex amygdalis: in maximis autem, etiam valentioribus antidotis utendum eſt.

Ad ſcirrhoſos jecoris affectus.

Croci, ſpicæ nardi, coſti, junci odorati floris, cinnamomi, ſingulorum drachmæ duæ: zingiberis drachma, mellis Attici deſpumati drachmæ viginti quinque. Dato drachmam ex mulſo. Præſtantiſſimum hoc eſt remedium, & viſcera valenter expurgat.

CAPUT III.

DE ASCITE ET TYMPANITE.

Omnia commemorata medicamenta etiam aliis aquæ inter cutem ſpeciebus, nempe aſciti & tympaniæ, citra ſanguinis detractionem,

conveniunt. Nam his purgationes potius, & quæ aquam per alvum repurgare ſolent, omnia congruunt. Nihil minus etiam perfricationes, quæ ſale, oleo immaturo, Sicyonio & Cyprino, adhibentur. At frictio moderata fieri debet, ne alia materia ex alto vi attrahatur: ſed quæ in ſuperficie corporis tantum continentur, diſcutiantur. Utendum autem ad hæc eſt medicamentis quæ non modo diſſipare, ſed etiam reprimere tumorem poſſunt. Græci hæc a jecore vocant ἡπατήρια. Itaque veteres multa prodiderunt, ac licet hæc apud pleroſque deſcripta invenire.

Cæterum præſtantiſſimum validiſſimumque inter ea etiam hoc eſt cujus compoſitio recipit: reſinæ torrefactæ drachmas tercentum octuaginta quatuor: ceræ, picis ſiccæ, ſingulorum drachmas centum nonaginta duas: aluminis liquidi, nitri, ſulphuris, mannæ, thuris, ſingulorum drachmas nonaginta ſex: pyrethri drachmas vigintiocto, bdellii drachmas viginti quatuor, ammoniaci ſuffiminis totidem, cardamomi drachmas viginti octo, viſci totidem, olei drachmas viginti quatuor, aloes drachmas quadraginta ſex, ariſtolochiæ drachmas viginti quatuor, aceti quod ſatis eſt. Nihil autem minus valet etiam hoc ad diſcutiendum & comprimendum.

ALIUD. Chalcanthi, nitri ſpumæ, aloes, ſingulorum unciæ tres: ceruſſæ, olei, ſingulorum unciæ decem: aceti acerrimi quod ſatis eſt. Sicca ex aceto lævigato, dum mellis fiat craſſities. Ceruſſam autem cum oleo coquito, uſquedum ſpiſſeſcat, ut manus intinctas non inquinet: tunc ceram injicito, atque ita particulatim in pila emollitis utitor. Eſt hoc medicamentum multis experimentis probatum, quod non ſolum ad aquam

inter cutem, ſed etiam alios pleroſque affectus utile exſiſtit. Etenim lienem conſumit, abſceſſus ad ſuppurationem perducit, furunculos, & humores in articulis contentos, item hydrocephalis, atheromati, ſcirrhis, & parotidibus conducit: nec non ad alia plura grandia vitia mirabiliter valet. Ne igitur ſimplicium medicaminum vilitatem aſciti congruentium contemnas, etiam in quibus non magna durities viſcera & jecur affligit. Sin autem durities in eis extiterit, utitor cataplaſmate quod poſſit viſcera emollire, & omnes humores, qui in penitiore omenti & peritonæi regione habentur diſcutere.

Porro utitor eo quod etiam ad alia multa proficit: confectio ejus ita ſe habet: ceræ, reſinæ piceæ, picis brutiæ, nitri rubri, baccarum lauri ſiccarum, adipis taurini, ammoniaci ſuffiminis, mannæ, thuris, ſingulorum libra. Ubi ea quæ liquari poſſunt liquefeceris, arida liquidis inſpergito, & utraque miſcens, pilæ indito, ac tritis diligenter utitor.

Ad tympanicos, & quibus jecur ſcirrho induratum eſt.

Ad tympanicos, & quibus jecur ſcirrho induratum eſt, medicamentum etiam ante ſcriptum valet. Multo autem magis illa parari debent, quæ & flatus diſcutere, & duros affectus emollire probe poſſunt. Habet ſe ſcriptura hujus in hunc modum: reſinæ aridæ libra, picis, ceræ, ſingulorum drachmæ duodecim: aluminis liquidi, ſulphuris, nitri, ſingulorum libra, mannæ, thuris, unciæ tres, olei veteris unciæ duæ. Ex aceto lævigato, donec ſordium habeant craſſitiem: atque ſic ubi liquefeceris quæ liquari poſſunt, &

utraque in pila paululum ſubagitaveris, mannam inſpergito, & lævigatis plurimum utitor. Hæc de medicamentis & alia curatione dicta ſunto.

Deinceps autem de victu agamus, qui & primas & ſupremas curationis partes in omnibus potiſſimum affectibus, maxime vero etiam in periculoſiſſimis, obtinet: in quorum numero aqua inter cutem quoque habetur. Sive enim primario affectu, ſive aliarum partium conſenſu hæc contracta fuerit, non ſine jecoris vitio unquam conſtitui potuit. Quoniam igitur jecur cibum in ſanguinem convertit, totique corpori tranſmittit, idcirco ſimul proſpiciendum prorſus eſt, ut & alimentum quod ad ipſum pervenit, facile ſit ad diſtribuendum, & nequaquam impediatur, quominus in corporis partes diſpenſetur. Quare optimum ipſis alimentum eſt panis furnaceus, qui ſemina flatibus diſcutiendis apta contineat, ut aniſi, aut cumini, aut fœniculi, aut ſinonis ſimiliter: interdici autem ipſis etiam copioſus panis debet. Si enim probe fuerit fermentatus, non poteſt craſſitiem & id quod obſtruit continere.

At olera ſumi debent, ſi febris abſit, quæ calefacere & extenuare queant: quale eſt apium, petroſelinum, daucus, eruca, pulegium, rapa, caucalis, & quæ ex his tenuia & calida exſtiterint, alia magis, alia minus in id efficacia. Ex avibus præponi debent feræ manſuetis, ut palumbus, turtur, turdus: & ex minutis paſſerculis, qui non ſunt pingues. Inter piſces conveniunt ſaxatiles: at horum jus ſit excrementi expers, quod inter coquendum aſſumat aniſum, aut piperis paululum. Ex carnibus moderate comedant, & eas potius quæ non ſunt pingues, præcipue ferinas, ut cervinas, aprinas, & ca-

prearum; leporinæ vero prohiberi debent. Paretur autem earum jus cum cibo quodam extenuante. Aſſas maxime, ſi gratæ ſunt, aſſumere ipſos alienum non eſt. Teſtacea, ut aſtacum, vel buccina, vel pectines, raro & modice ſolius voluptatis gratia offerre convenit. Quantum enim ad affectum attinet, & præcipue in quibus calida non eſt intemperies, aut febris, continuus ipſorum uſus interdici debet. At leguminibus ipſos, maxime tympanicos, abſtinere oportet: ſimiliter etiam placentis omnibus quæ ex lacte & ſimilagine parantur. Bellaria vero aſſumere non eſt abſurdum, amygdala, aut piſtacia: uvas autem paſſas, & palmulas raro, caſtaneæ vero, & nuces in totum prohibendæ ſunt.

Vinum aſſumant Tyrium, vel Aſcaloneum, præſertim vetus, & ſenium reſipiens: hoc verò etiam urinas provocat. Quod autem medicamentum hoc præſtantius commodiuſque ad aqua inter cutem laborantes invenire poteris? Ex factitiis autem vinis ſumant abſinthites, præcipue quod ſpicam nardi copioſiorem recipiat, vel apiatum: aliis autem abſtineant.

Porro motus, ſiquid aliud, hydropicis conducit: præcipue qui fit per mare, equum, & lecticam, iis autem qui viribus conſtant, etiam ambulatio eſt utiliſſima.

At perfricatio hydropicis adhiberi debet potiſſimum, ut externos corporis meatus rarefaciat, humores extenuet & diſcutiat. Nihil enim adeo hydropicos offendit ut denſitas meatuum, quæ flatus & humores congregatos non ſinit diſſipari, ſed ipſi in ventrem & membranam, quæ *quod omnibus inteſtinis circumtendatur*, *Græcis* dicitur περιτόναιον, recurrunt. Itaque fricare hos con-

venit interim ſiccis manubus, interim cum ſale & oleo, interdum etiam cum Sicyonio aut Cyprino.

Balneorum uſus hydropicis, præſertim frigida intemperie præditis, noxios eſſe, ſcire licet: quoniam & ipſa, ut didicimus, refrigerare magis quam calefacere poſſunt. Quum itaque lavantur, utile eſt viſceribus injicere medicamenta quæ diſcutere queant & extenuare: qualis eſt ervi farina, atque ſal, aut nitrum, aut aliud quid ad diſcutiendum efficax. Multa vero ſunt etiam alia a veteribus medicamenta tradita, quæ diſcutere poſſunt; ac licet ejuſmodi examinare, & utiliſſima quæque ex ipſis deligere. Talis ſane victus iis, qui aqua inter cutem ſine febri laborant, præſcribi debet.

De iis qui aqua inter cutem cum febri laborant.

Quod ſi aqua inter tutem laborantes etiam febricitent, admodum calidis auxiliis utendum non eſt, neque in viſceribus, neque in cibis, aut potibus, aut antidotis, aut purgationibus: ſed abunde eſt ex oleribus aſſumere intybum & troximum, aut caucalidem, aut rapam his mixtam: item cichorium maxime, aut apiorum radices. Dato autem ipſis & porra decocta ſubinde, & paluſtres aſparagos. Ita vero etiam continuum antidotorum uſum, præſertim ſicciorum & acrium, in hydropicis vitare oportet: item ex purgantibus ſimiliter calida admodum medicamenta prohibere; nullum enim valde calefaciens ipſos juvare poteſt. Nam ejuſmodi medicamenta ſitim ipſorum augent, & febrim incendunt, & cauſas inflammantes magis adhuc incendunt, intenduntque malum.

Quare aqua inter cutem ex acutis morbis profecta non poteſt non inflammationes habere in ipſa perſeverantes. Nihil enim adeo intervallorum expers eſt ut febris: ac mirum quod neque aqua inter cutem ipſis oboriens, calorem ægrorum extinguat, neque febris omnem aquam inter cutem exhauriat, ſed ab aqua ſimul & igne ambo contineantur, ut undiquaque dubia fiat curatio, ſive calefacere, ſive refrigerare quippiam velis. Quippe neceſſe eſt ut refrigerantia omnino aquam inter cutem adaugeant, calefacientia rurſus, febrim. Satius igitur eſt in hujuſmodi mixtam curationem adhibere, & ei quod magis urget, quatenus licet, inſiſtere.

At ubi febres vehementiores apparent, tunc refrigerantibus potius utendum eſt, nec metuendum ea tunc exhibere. Quomodo enim finietur febris niſi a contrariis? Imo neque aqua inter cutem ceſſaverit unquam, niſi prius calor præter naturam deſierit: etenim iis, ſi diutius immoretur, aquam inter cutem parere poteſt. Omnis namque ſive calida intemperies, ſive frigida longius protrahatur, ſuperetque, vires dejicit & nutritionem. Itaque quum ægri alimentum quod diſtribuitur, non amplius in ſanguinem tranſmutant, neceſſe eſt ut in vaporoſam quandam & pravam ſubſtantiam convertatur.

Porro quod aqua inter cutem etiam ex colliquatione naſcatur, diviniſſimus quoque Galenus confitetur. Videmus autem colliquationem a calore potius quam frigiditate oboriri. Quare omnia & quæ præceſſerunt morbum, & quæ nunc adſunt, obſervanda puto: ac ubi præſentem intemperiem internoveris, ita ad curationem audacter accedas, non autem vulgarium opi-

nionem ſequaris: nempe aqua inter cutem laborantes quovis modo calefaciendos eſſe. Neque enim hoc verum eſt, nam ego pleroſque etiam a refrigerantibus medicamentis interdum adjutos eſſe conſpexi: atque id evenire poſſe conſtat. Quum enim omnes partes a caliditate contra naturam orta ad bonam temperiem revertantur, neceſſe eſt, ut etiam jecur probum ſanguinem generet, nullatenus impeditum. Quemadmodum igitur dixi, ſemper conandum eſt, ut ſpeciem morbi inveſtigemus, & cauſam quæ aquam inter cutem efficit, accurate deprehendamus. Nam quæ Hippocraticæ artis methodi vocantur, hæc ſunt: nempe contraria contrariorum ſemper eſſe remedia.

Poſtquam igitur omnibus aqua inter cutem laborantibus victum unicuique aptum & convenientem præſcripſeris, ita ad ea accedito quæ ipſos purgare poſſunt, non univerſim & una vice, ſed paulatim, ut diximus. Ex frigida quidem intemperie aquam inter cutem expertos, calefacientibus, imo neque hos cibis nimium ſiccantibus, aut medicamentis acrioribus ſtatim curare, ſed per vices, & a mediocribus primum inchoare oportet: deinde ſic ad valentiora, & ea quæ magis calefacere & extenuare poſſunt, progredi. Nam calefacientia nimium, ſi univerſa ac una vice aſſumantur, totum potius habitum colliquant, quam abundantem humorem evacuent. Ita vero, etiamſi refrigerantibus uti oportebit, a mediocribus incipiens, particulatim naturæ adjicere conator, atque hoc pacto ad magis refrigerantia accedito.

Poſtquam igitur ipſos purgaveris ut convenit, etiam ad balnea & motus mediocres ducito. Sed pituitoſos & temperatura frigidiores ſatius eſt na-

turali balneo committere. Graciles autem, ſiccos & febricitantes, potabilis & dulcis aquæ lavacro, unctione, mutatione aeris, & omni hilaritate recreare oportet. Ita namque accidit, ut congruo utentes victu, ad priſtinam rurſus temperiem revertantur: ut etiam jecur non amplius aquam, ſed bènignum ſanguinem in poſterum generare queat.

CAPUT IV.

DE AFFECTIBUS RENUM.

Calculi qui in renibus generantur, à viſcoſis craſſiſque humoribus igneo renum calore nimium aſſis gignuntur. Eſt itaque materialis calculorum cauſa humor craſſior: efficiens autem, ignea caliditas, ſicut etiam in externis videmus. Nam ex igne & tali materia idonea, figuli omnia vaſa conficiunt, ita ut ne ab aqua quidem unquam diſſolui poſſint. Quæ quum ita habeant, procurandum eſt, ne materia in renibus craſſior generetur, neque ipſi ignei & intemperati fiant. Niſi enim horum aliquod exſtiterit, nunquam calculus conſtitui poterit.

Notæ calculi.

An autem revera calculus ſit qui dolorem pariat, in hunc modum diligenter internoſcito. Etenim eadem accidunt indicia cum colico dolore cruciatis, tum renum calculo affectis: & præſertim circa initia ſignis ægre diſcernuntur. Etenim in utriſque vomitus excitantur, ventris re-

tentio; flatus & diſtenſiones uſque ad ſtomachum & jecur pertingunt. Etſi vero eadem utriſque accidant, tamen artificem medicum non latuerint. Siquidem in colicis multo plures vomitus, & crudi & pituitoſi oriuntur, alvus & flatus magis retinentur: in nephriticis non adeo, ſed etiam inter curandum ſæpe excernunt; interdum citra curationem quoque flatus erumpunt, & alvus dejicit: quod nequaquam in colico dolore contingit.
Cæterum urinas quoque diligenter conſiderare convenit; nam maximam in his diſcretionem ad amuſſim invenire licet. Quippe in colicis pituitoſius copioſiuſque ſedimentum, in nephriticis minus redditur: & ſi accurate conſideres, arenoſa quædam in urinis deprehendes; quæ colico tentatis non eveniunt: & dolor magis gravis & uno in loco infixus nephriticis apparet: quod colicis non accidit. Hoc igitur pacto nephriticos laborantes calculo, & colicos internoſcere & diſcernere invicem oportet.

Curatio calculoſorum.

Calculo affecti in acceſſionibus quidem, medicamentis curari debent, quæ laxare, lenire, & præterea comminuere, & calculum educere poſſunt. Omnium igitur optimum eſt balneum, ut quod non ſolum mitiget, ſed etiam curare poſſit. Nam colicos frequenter ſolummodo lenit, nephriticos autem utraque ratione juvat. Porro ad loci unctionem chamæmelo ægri utantur in balneo, & in calida copioſiore ſolioque diutius immorentur; non ſemel autem tantum die, ſed etiam bis & ter lavare expedit. Sæpe etiam in frigidam, ſi æſtas ſit, deſcendant: linteis autem jam

jam involuti, decoctum cardui cum apio, aut aniſi momento bibant.

Sin autem dolor perſeveret, & calculi excretio nequaquam ſucceſſerit, etiam decoctum radicis quinquefolii herbæ adhuc linteis circumdati bibant. Nam valde gratum & efficax exſiſtit: verum extra balneum per ſe & cum oxymelite ſumi debet. Quod ſi quinquefolii radicis copia non detur; eryngii decoctum, aut eryſimi & prio nitidis, plurimum potu proficit.

Extrinſecus autem ſacculi ex farinis frumentaceis, maxime etiam decocto chamæmeli, althææ, ſertulæ campanæ; & oleo chamæmelino; admoveantur, ſed ita ut frequentius mutentur. At ſi farinæ deſint, panniculis laneis, & ipſis interdum oleo dulci, alias chamæmelino imbutis, utendum eſt: atque ita calefaciendo variare illos crebrius oportet.

Cæterum alvus clyſteribus duci debet non admodum acribus, ſed potius qui copioſius oleum recipiant, poſſintque laxare & comminuere citra acrimoniam. Tale eſt althææ decoctum, fœnigræci, ficuum ſiccarum, furfurum; chamæmeli, & oleum chamæmelinum. In calidioribus admodum, etiam ptiſanæ cremores cum roſaceo, chamæmelo, & luteis ovorum compoſiti. Mitigant enim, & bonam locis temperiem inferunt: & morbi cauſam minuentes, eoſque qui continue calculoſi ſunt, ne affectu corripiantur prohibent.

Sin dolor permaneat; & calculus ægre excernatur; ad valentiora medicamenta tranſito. Ejuſmodi eſt ſanguis hircinus, quem probe ſiccare, ſiccatum tundere, cribro incernere, atque ſic calculo laborantibus exhibere convenit. Item cicadas ſimiliter ſiccatas contuſaſque dare expe-

dit: verum alæ & pedes ab iis tolli debent: atque ita ipſas ægro exhibere in balneo, quando jam is in frigidæ ſolium deſcendit. Commodius autem erit, ſi medicamentum ex mulſo aut condito læviges. Ne igitur contemnas: eſt enim validum. Hæc quidem ſimplicia exſiſtunt: ex compoſitis autem hoc eſt præſtantiſſimum: Spicæ nardi, piperis, ſingulorum uncia: caſſiæ fiſtulæ, coſti, ſingulorum unciæ duæ. Ex aqua noctu & mane dato. At efficaciſſimum longeque validiſſimum eſt medicamentum quod ex hircino ſanguine hoc pacto exhibetur: quum uva matureſcere inceperit, ollæ recenti aquam injicito, eamque decoquito, ut quod terreſtre eſt abjiciat: ac hirco jugulato, ſanguinis ejus medium ollæ excipito, ita ut neque eum qui primus effluxit, neque poſtremum accipias. Ac ubi coaleſcere permiſeris, minutim in olla ſolum incidito, reticulo autem tenui, aut raro linteo contectum ſub dio exponito, ut a ſole & luna illuminetur, ac ſicceſcat, cura adhibita ne madefiat. Lævigatum diligenter in pyxide adſervato: quum uſus poſtulat, cochleare plenum ex paſſo Cretico dato. Hoc igitur tale eſt, & nos non pauco tempore id ſumus experti. Cæterum hircus qui jugulatur, ætate vigenti eſſe debet; erit autem talis circa annum quartum. Deinde folia fœniculi, boni odoris gratia, amomum, & hujuſmodi, hirco antequam occidatur, comedenda objici debent. Ego autem cum myrrha Troglodytide cremata, in maximis doloribus novi me exhibuiſſe, & calculum grandem, quem comminuerat, per urinam expuliſe. Indicabat autem copia ſegmentorum concretam ipſam partem per lotium fuiſſe redditam. Hoc medicamentum præterquam quod

comminuit calculos, etiam dolorem lenit, nec alios ſinit generari: unde etiam *Manus Dei* appellatur. At ſi hircinum ſanguinem præſto non habeas, utitor medicamento quod ex condito paratur. Habetur autem in hunc modum.

Conditum nephriticum.

Spicæ nardi, phu, ſaxifragæ, betonicæ, aſari, lini ſeminis, petroſelini, ſingulæ unciæ; coſti, folii, ſingulorum ſemuncia. Cochlearium pulveris in conditum mittito, ac ante horam prandii propinato. Comminuit calculos, & per urinam projicit, ut non amplius alios renaſci permittat.

De anodynis.

His & ſimilibus, quum dolor urget, & calculi impacti ſunt, ſanitatis tempore utendum non eſt, ne renes fiant intemperati. Quod ſi dolor remanet, & magnum imminet periculum, ne vires a vigiliis & conſtanti dolore dejiciantur, accedito etiam ad antidota: quæ præterquam quod mitigant, etiam ſomnum inducere poſſunt: item quæ extenuant & calculos comminuunt: quale eſt Philonum, item panacea dicta, & theriaca non antiqua, per ſe vel cum Philonio mixta. Præſtat enim lenire dolorem, & viribus ita recreatis, ad valentiora quæ calculos confringere queant, rurſus accedere.

De ſanguinis miſſione.

At ſi copiam ſubeſſe, aut inflammationem, una cum calculi obſtructione ſuſpiceris, venæ omnino

ſectionem prius adhibeto. Ita namque haud delinques, ſi medicamentum offeras. Laxatione enim facta, & meatibus rarefactis, multo magis auxilia quæ adhibentur, propriam vim oſtendent. Novi igitur etiam unum ſolum ex prædictis auxiliis ad abſolutam morbi curationem ſufficere. Memini autem diverſorum, ut penuria unius altero uti poſſis. Cæterum licet etiam ex diverſis id quod congruit pro magnitudine morbi, viribus, & ægri habitu, invenire.

At in præſidiorum copia, quædam calculos ſane jam factos comminuunt, aliorum vero plurium generationem promovent; nam effectricem calculorum cauſam adaugent, dum renes intemperatos igneoſque per calefacientia reddunt, ut prompte alios aſſare calculos poſſint. Ne igitur hoc fiat, ſtudioſe vitari debent admodum calida & acria medicamenta. At ſi neceſſitas quædam incidat, ſemel aut bis hiſce uſus, & conſequutus id quo tendebas, deſiſtere rurſus ab ipſis debes, & non (ut vulgo factitant) uti ipſis per ſanitatem præſervationis gratia velle, ne craſſior aut frigidior materia, quæ ad calculorum generationem idonea eſt, congregetur: ſed contra ſtudendum eſt, ut bonam temperiem conciliemus, & extenuantibus citra magnum calorem utamur, quale oxymeli eſt, adiantum, decoctum paluſtris aſparagi & graminis, radix apii & eryngii, & quinquefolii herbæ: item plantaginis radix & folia, magiſque adhuc ſemen ipſius: & cicerum jus, glycyſidis ſemen, & amygdala. Verum neque his continue utendum, ſed tunc ſolum quum ſuſpicio quædam fuerit, materiam craſſiorem in renibus congregari.

Bibere autem oportet ante omnem cibum aquam

tepidam; nihil enim renes adeo recrementis vacuos temperatoſque reddit, ut non amplius calculos procreare poſſint; nam temporis ſpatio igneus ipſorum calor a tepore aquæ extinguitur. Quare probe faciunt, qui bibunt etiam in medio cibi aquam, aut vinum refrigeratum, aut roſaceum, aut violatum. Conditum autem quovis modo prohiberi debet, quemadmodum etiam hydrogarum, atque omnia, quæ ex pipere conſtant: & non ſolum acres ſed etiam craſſi ſucci cibi vitabuntur, ut alica, libum ſuminale, ſimilago, ova dura, placentæ, & quæ ex lacte parantur, ipſumque lac & caſeus: item vina admodum nigra & auſtera. Ad hæc cavendum eſt ne ægri culcitris indormiant ex anſerum plumis confectis, hæ ſiquidem renes valde calefaciunt. Præterea ne multum ſtent, magis vero ſtudendum ut vel moveantur vel conſideant. Vitandum autem eſt ne tarde cibum ſumant, nec eum qui non concoquitur; edant copioſum iſicium, & ex piſcibus cetacea, ut thynnos, pelamidas, ſcombros, cephalos, & teſtacea, præter pectinem & echinum. Ex hoc vero etiam frequenter ſumendum eſt ſi fieri poſſit; nam præterquam quod bonam temperiem inducit, etiam urinæ citandæ vim obtinet. Aſtacum vero & buccinum raro aſſumere præſtat: oſtreis in totum, & pinguibus carnibus & avibus interdicendum: ſimiliter etiam earum quæ in palude degunt continuus eſus prohiberi debet. Aſſumi vero & anſerum alæ, & ex aviculis non pingues, paſſerculi virides, pyrgitas, *à turribus in quibus nidificatur ita vocatos*, & ſimilia. Ex fructibus comedant, & cucumerum, primam maxime medullam, peponumque. Ficus autem ſiccas & virides aſſumant, uvamque,

mala duracina, pira nec copioſe, nec continue. Hæc generatim membratimque ſecundum methodum ſcientificam expoſita tibi ſumto.

Quoniam vero aliqui etiam veterum quod naturalia de contraria rerum facultate ſcripſerunt, nonnulla quæ calculos jam factos præter opinionem abſtergere promittant, & in poſterum non amplius gigni concedant, prodiderunt, neceſſarium duxi, quædam eorum enumerare, præſertim virtutis ſtudioſorum gratia, ut hominem conſervent, morbumque ſuperare poſſint. Honeſtum enim eſt morbum vincere, & omni machina ægris ſuccurrere. Præterea etiam diviniſſimus GALENUS, qui ne eſſe quidem incantationes putavit, ex longo tempore multoque uſu plurimum ipſas poſſe deprehendit. Audi igitur verba ipſius, quæ de medica HOMERI tractatione reliquit; habent ſe autem ea in hunc modum. Nonnulli igitur putant incantationes, anicularum fabulis eſſe perſimiles, quemadmodum ego quoque diu exiſtimavi: temporis autem proceſſu, ab iis, quæ evidenter apparent, perſuaſus ſum vim in ipſis eſſe; nam in percuſſis a ſcorpio, adjumentum ſum expertus: nihil autem minus etiam in oſſibus gutturi infixis, quæ incantatione ſtatim exſpuebantur; ac multa præclara ſingulæ habent incantationes, quum inſtitutum conſequuntur. Si igitur diviniſſimus GALENUS & alii plerique veterum teſtantur, quid prohibet nos quoque, quæ experientia cognovimus, & quæ ab amicis ſinceris accepimus, hæc vobis communicare? Multa igitur ſunt & alia, ſed nullum ita ut annulus ex ære Cyprio confectus; habetur autem in hunc modum.

Naturalia.

Æs Nicanum aut Cyprium, quod igni in totum non admodum fuerit, accipito: quod in ipſo metallo æris invenitur, veluti teſſeram facito, ut in digito appareat: & ubi in ea inſculpſeris leonem, & ſemilunam, & ſtellam, hujus circulo nomen beſtiæ conſcribito, & incluſam aureo annulo geſtato in minore digito medico, juxta minimum.

CAPUT V.

DE INFLAMMATIONE RENUM.

Quod ſane inflammatio in univerſum ex copia materiæ in partes præſertim carnoſas influentis generetur, omnibus in confeſſo eſt: ac convenit hoc ſcienter perpendere, num id quod influxerit, ſola copia, an qualitate tantum, aut utroque ſimul offendat: copia quidem, ut quum ipſe ſanguis probus eſt, & ob nihil aliud quam ſolam abundantiam, obſtructionem excitat, partem diſtendit, & in ſublime attollit: qualitate autem ſola, ut quum exiguus exiſtit, bilioſus, & nimis acer, aut craſſus viſcoſuſque, aut terreſtris & melancholicus. Sin autem etiam copioſum ſit quod influxit, malique ſucci, tunc partem utroque modo offendi contingit, & a copia diſtendi, & a qualitate ipſam infeſtante affligi.

Quare conſiderandum eſt, num ex toto corpore influat, an a quadam ſuperiore parte, ut liene, jecore, aut alia; hinc enim maxime variat

curatio. Nam ſi totum corpus videatur plethoricum, hoc eſt omnibus ex æquo ſuccis repletum, toti proſpicere prius oportet, deinde parti: ſi quidem ſanguis ſuperare videtur, venæ ſectione: ſin autem vitioſus quidam humor, purgatione quæ humorem præpollentem educere poteſt. Hæc autem fieri debent, ubi tuto illum cibo antea tractaveris, & ſolutu facilem paraveris, ptiſana, piſcibus, intybis, & omnibus humectantibus contemperantibuſque: ſin autem craſſus ſanguis fuerit, & nihil habens acre, cibis ex oxymelite, & decoctis extenuantibus incidentibuſque. Verum quum magna ex parte ea, quæ incidunt, etiam rodant, parteſque inflammatas irritent, curandum eſt omnino, ut quæ roſionis expertia ſunt deligantur. Sunt itaque & alia incidentia, quæ nihil acre neque moleſtum obtinent: verum nullum adeo ut aquoſa mulſa.

Poſtquam igitur craſſa prius ita extenuaris, vel acria contemperaveris, tunc eorum purgationem quæ offendunt molitor, ſi tibi utraque ratione peccare videatur, & ſola virtus vitioſum humorem evincere ac ſuperare nequeat. Fugere namque omnia hæc oportet, quæ inflammare poſſunt & purgare, partes inflammatas purgare: quia cautio eſt, præſertim inter initia, & quum humores adhuc ſunt crudi, & inflammatio fervet. At nullam adeo partem offendere poſſunt ut renes & veſicam; nam recrementa prompte in ipſa potius ſe recipiunt, quam aliquid ex eis diſcutiatur, niſi concoctio ejus quod inflammatur, & totius materiæ fieri deprehendatur. Ita ſane, ſi multa ac vitioſa materia tibi appareat, agendum eſt.

Sin autem non multa in toto corpore eſſe vi-

deatur, ſed potius exigua & acris, ferventſque, vitari debent urinam cientia, etiamſi non rodant, & mulſa: utendum autem magis aqua tepida copioſiore, quæ acrimoniam obtundit, & roſionem eluit, atque in corpore diutius remanens, caliditatem extrahit, & dolorem mitigat, qui magis fluxionem promovere ſolet. Quare ſi acrimonia offendat, non verendum eſt liberaliorem potum offerre; nam hæc copioſior inflammationes ex acrimonia provenientes juvat. Eas enim quæ ex copia materiæ contrahuntur, urinæ movendæ efficacia non admodum opitulantur. Quippe alia quoque materiam craſſiorem cum urinis ſimul in affectas partes attrahunt: quæ quum tranſitum non invenit, in ipſis affectis locis immoratur.

De auxiliis loco inducendis.

Extrinſecus ſane refrigerantia admovere, præſertim inter initia, & fervente adhuc inflammatione, convenit: ſi quidem id quod inflammationem excitat, bilioſum fuerit. Multa igitur ſunt, quæ hoc præſtare queant: ſed nullum adeo efficax ut ceratum, quod recipit roſaceum, & aceti paulum, ſuccumque polygoni aut portulacæ. At in morbi incremento etiam diſcuriens aliquod admiſcendum eſt, ut chamæmelum, aut recentes adipes, aut medicamenti διὰ χυλῶ modicum. Declinatione autem facta, etiam ea miſcebuntur, quæ plus diſcutiant.

At ſi materia, quæ inflammationem excitavit, craſſior tibi appareat, juvandum eſt extenuantibus citra roſionem, & extrinſecus chamæmelo, & cataplaſmate ex hordeacea farina, & lini ſemine, decoctis in jure chamæmeli, ſertulæ cam-

panæ, abſinthii, althææ, & momento ſapæ. Cave autem ne multo fotu partem calefacias, ſed mitiore calefactione utitor.

Quemadmodum igitur multa calefactio vitanda eſt, ne materia, quæ in parte inflammata continetur, in pus convertatur: ita etiam renum inflammationes iis quæ multum refrigerant, ſæpe quamprimum indurantur. Quare omnia extrema ubique fugienda ſunt, præſertim in renibus inflammatione tentatis.

Balneis ſane, priuſquam copiam vacuaveris, uti properandum non eſt: ubi vero toti corpori proſpexeris, etiam balneis excalefacientibus tuto uteris.

De inflammatione renum in pus converſa.

Inflammationem quæ in pus convertetur, prius hinc internoſces, quod nulla occaſione oborta febres aut perfrictiones quædam citra rationem & inordinate ſuperveniant; nam dum pus generatur, dolores febreſque magis eveniunt quam quum generatum eſt. Deinde ad hoc, quod æger quum in ſanam partem inclinat, gravitatem magnam ex affecta potius ſentire ſe dicat, ac antea quam inflammatio in abſceſſum perveniſſet. Cæterum etiamſi pus apparuerit, non aliunde ipſum excerni ſuſpiceris niſi ex renibus. Etenim dolor qui anteceſſit, & gravitatis ſenſus, exquiſitam internotionem, & indubitatam demonſtrationem ſimiliter repræſentant.

Quandoquidem vero ex aliis quoque locis compluribus pus excernitur, omnia tibi ſigna manifeſte exponam, quibus id deprehendere licebit, ex quibuſnam illud, a renibuſne an veſica, an uri-

nariis meatibus, an etiam a pulmone, vel alia quadam parte, ſive reſpirationi, ſive nutritioni dicata, prodeat: etſi enim raro, tamen ex ipſis quoque pus excernitur.

Quod igitur pus a ſuperioribus partibus effertur, omnino cum urina ipſa accurate permixtum invenitur: ſin autem ab inferioribus excernatur, etiam ſedimentum in fundo matulæ potius ſubſidere deprehendes. At ſi ex mediis partibus feratur, media quoque puris miſtura & non exquiſite permixta apparet. Obſervato autem ea quæ urinis permixta ſunt, & in eis feruntur: ut quæ prorſus locum affectum tibi indicent. Si namque ex veſica proveniant, particulas laminis ſimiles in urina ferri reperies: ſin a renibus, carnoſas. Cæterum etiam dolor peculiaris, & quæ præceſſerunt, & omnia quæ ſimul comitantur, tum locum affectum, tum morbum indicabunt, reddentque valde manifeſtum.

De curatione.

Qui pus excernunt, lenibus & abſtergentibus curandi ſunt: ex quorum numero eſt etiam mulſa aquoſa, & cremor ptiſanæ, cum modico melle; item adiantum, & ſemen cucumeris cum chryſattico. Adhæc paſtillus *διὰ φυσαλίδων*, *hoc eſt ex veſicariis*, & lac aſininum, præſertim iis qui ulcere in veſica laborant, necnon bolus Armena, potu proficiunt: inſuper equiſetum, & præterea gramen valde conferunt. Urinarii vero meatus ulcera granulis vel paſtillis citra roſionem ſiccantibus magis quam extenuantibus curantur.

Pulvis nephriticus, ad urinæ difficultatem & calculum.

Althææ ſeminis, lini ſeminis, utriuſque ſemuncia: urticæ ſeminis ſcrupuli ſex, ſpicæ nardi, carpobalſami, ſingulorum ſcrupuli ſex: paliuri ſeminis ſemuncia, vitri uncia.

Aliud, quo etiam ipſe uſus ſum. Agarici uncia, althææ ſeminis ſemuncia, lini ſeminis tantundem, urticæ ſeminis, carpobalſami, paliuri ſeminis, vitri, ſingulorum ſcrupuli ſex. Dato ex pulvere ſcrupulum cum chryſattico: aut eryngii, graminis, cucumeris ſeminis, & atractylidis herbæ decocto.

De victu.

Obſervari etiam victus omnino debet: & non ut vulgo, ſolis medicamentis confidendum. Idoneus igitur eſt cremor ptiſanæ, & avenæ, ſolus cum chryſattico, aut roſato, aut mulſo, aut paſſo Cretico, aut Ladaceno, aut Scythopolitico. Quod ſi vero æger non libenter dulce vinum bibat, aut hydromel; aut Cnidium, aut Sareptinum, aut Tyrium aſſumat, ſed modicum. Copioſum enim ulceribus fluxionem inflammationemque excitat. Utiliſſimæ his ſunt uvæ paſſæ comeſtæ, amygdala, nuces pineæ cum paſſo, ſi calculis non laborant (ſolet enim in renibus eos generare), item ova gallinarum cohortalium tepida & molliſſima ſi edantur, valde proficiunt. Ego ſane novi quendam qui ova, quamprimum eſſent poſita, ſorbebat citra coctionem, dicebatque ſe plurimum adjuvari; & roſiones ac dolores, qui circa veſicam oriebantur, mitiores fieri,

ut ferre poſſet, affirmabat. Adhæc erinaceus lotus, ſi per ſe, aut cum chryſattico, aut hydromelite dulci comedatur: item pectines elotæ, & aſtacus, in alia atque alia aqua, poſtquam purgatus fuerit, decoctus, utiliſſime ſumitur. Ex oleribus autem intybus, & braſſica ter cocta ex vino comeſta, niſi id quod effertur pus, acrius fuerit & rodens. Jam lupini ſalis expertes conducunt, quum vim calculi confringendi ulceraque abſtergendi habeant; item germina fœnigræci eſu proſunt: adhæc cuminum ſatiuum modice ſumptum. Caſtaneæ autem elixæ aut aſſæ valde conferunt, præſertim quum id quod effertur, tenue & bilioſum exſtiterit; quum vero craſſum & impactum, ut vix excerni queat, a cibis craſſi ſucci abſtinendum.

CAPUT VI.

QUOMODO URINÆ STILLICIDIUM AGNOSCATUR, CURETURQUE.

SI acrimonia quædam in urinis & totus habitus ad acriorem bilioſioremque fuerit converſus, conjiciendum prorſus eſt; ſtillicidium ob roſionem, quæ ex acrimonia provenit excitari: ſin autem nihil tale fuerit, ſed contra & urina magis alba appareat, & ea quæ præceſſerunt, frigidiora, tum victus, tum balnea, frigida potius intemperies veſicæ cauſari debet, quæ urinam non ſinit evincere. Hæ quidem ſtillicidii cauſæ ſunt, quibus illud efficientibus curatio convenienter adhibenda eſt. Si quidem acrimonia fuerit, humectantibus & contemperantibus, nullo calido

aut ſalſo utendum eſt. Omnino igitur ptiſana his utilis eſt per ſe, & cum modico hydromelle, aut chryſattico: interdum etiam cum lacte, ubi magna pars acrimoniæ finierit; quoniam lac corrumpitur ſi qualitate ſicca & acri præpollente multum exhibeatur. His apta ſunt etiam continua balnea, & aqua tepida ante cibum, & cucumerum medulla, & pepon, & germina fœnigræci, & uva dulcis, vinumque dulce, quale eſt Bithynum. In ſumma, quæ contemperare poſſunt, & obtundere acrimoniam.

De ſtillicidio ex frigiditate.

At ſi ſtillicidii vitium ob frigidam intemperiem fieri contingat, iis quæ calefacere poſſunt, & in victu, & in medicina, uti neceſſe eſt. Vinum igitur calidius his eſt idoneum, mulſum, abſinthites & aniſatum, potu & eſu. Inter olera, apium, porrum decoctum, daucus, & quicquid citra roſionem calefacit. Unctione vero utantur, anethino aut gleucino, aut marciato, & aquis naturalibus. Interdum ſcordii & artemiſiæ decoctum ad ſtillicidium & difficultatem urinæ bene facit, ubi non eſt multa acrimonia aut inflammatio.

Quomodo difficultas urinæ agnoſcatur cureturque.

Urinæ difficultas partim cum dolore, partim ſine dolore oritur. Si igitur urina vix & cum dolore excernitur, ſcire licet veſicam morbo laborare: ſin autem cum roſione vehementi etiam pus excernatur, & citra gravitatem, ulcus eſſe in veſica ſuſpicandum eſt. Si vero gravitatis ſen-

ſus quidam fuerit obortus, ſuſpicabimur magis aut inflammatione aut abſceſſu ipſam infeſtari. At ſi abſque gravitate dolor aut diſtenſio ſola in veſica percipiatur, cognoſcito retentionis cauſam eſſe ſpiritum copioſum ac flatulentum. Si æger nullum dolorem, aut tumorem, aut diſtenſionem circa veſicam ſentiat, ſcito obſtructionem, aut inflammationem, aut calculum in renibus vel meatibus urinariis exſiſtere. Quomodo autem internoſci omnia & curari debeant, antea explicatum eſt, quum de renum inflammatione, abſceſſu, atque aliis eorum affectibus differebamus: atque eadem nunc repetere ſupervacuum. Attamen ut facile invenias, hic quoque nonnullorum mentionem faciemus.

Ad obſtructionem urinarum, quæ ex viſcoſis humoribus naſcitur, bene facit etiam compoſitum oxymeli & mulſa, & decoctum rhamni quod ex radice ipſius fit: item origani decoctum mirifice juvat: ac magis adhuc ſi magna obſtructio fuerit, ut urinæ retineantur, efficax eſt corticis tithymali decoctum, quod incidit, & aperit. Ubi vero inflammatio eſt, his abſtinendum: lenibus autem & concoquentibus utendum eſt, qualis habetur etiam aquoſa mulſa, & quæ inflammationes, ſi extrinſecus applicentur, maturare ſolent.

Ad renum calculos, ſi magni ſint, ut per eos urinarum facta ſit retentio, pulchre auxiliatur pæonia herba ex mulſo pota. Datur autem ex radice ipſius ſcrupulorum duorum aut trium inſtar. Item quinquefolii decoctum magis proficit, & eryſimum, & ſerpyllum ſiccum, & medicamentum quod ex hircino ſanguine & cicadis conficitur. Omnia vero hæc etiam veſicæ calculos pe-

culiariter confringere credita ſunt. Compoſitorum quoque mentionem jam fecimus.

CAPUT VII.

DE CALCULIS IN VESICA NASCENTIBUS.

EODEM modo calculi in veſica naſcentes; quo etiam ii qui in renibus proveniunt, per circuitus infeſtant. Verumtamen veſicæ calculi pueris magis quam viris generantur: neque a tanta caliditate, ſed materia potius craſſiore, & ad gignendos calculos, prompteque ab inſita caliditate concreſcendos, idonea. Proinde craſſitiei potius per extenuantia occurrendum eſt, ne multa materia craſſa congregetur: quam merito parit colligitque & voracitas inordinata, & commotiones corporis poſt cibum factæ.

Indicia calculi ex urinis.

Urinæ crudæ & colore ſubalbidæ conſpiciuntur, ſedimentum eſt arenoſum, & ſcabiei ſimile; præterea ægri naturalia ſcalpere, aut ea violenter & ſæpe diſtendere ſolent, atque tunc magis quum ad urinarum excretionem urgentur.

Curatio.

Medicamenta igitur valida ad veſicæ calculos etiam antea ſunt explicata; dicentur autem nunc quoque efficaciora adhuc, longoque tempore & experientia prius inventa & comprobata. Sanguis caprillus,

caprillus, ſi extrinſecus illinatur, calidus maxime confert: commodius autem eſt, ſi etiam ſuper veſicam ſanguinem hirci imponas: longe vero optimum ſi in calido balnei acre illinas, atque ita deliges. Valet autem ipſum non modo ſemel, ſed etiam ſæpe, & per intervalla.

Scabioſæ veſicæ indicia.

Scabiem veſicæ inde notato, quod furfuraceæ quædam paticulæ in urinarum liquore appareant: diſcernes autem eas ab iis, quæ ex venis deferuntur. Etenim & venæ, nonnunquam etiam totum corpus, ſubinde tanquam ſcabiem quandam in febribus immoderatis, *quas καύσȣς dicunt*, ſuſtinent, ac efferuntur ex eis furfuracea. Siquidem igitur urina tenuis ſubſtantiæ fuerit, & magis acris, ſcito veſicæ ſcabiem eſſe. Curari debet purgantibus; & poſtremo ſiccantibus; ulcuſque ad cicatricem perducentibus. Eſt igitur affectus difficilis; & prope inſanabilis, ut nullum adverſus ipſum valeat medicamentum. Attamen auxiliari oportet, & non deſperare, ſed victu, medicina, & omni modo ſuccurrere convenit. Itaque lac aſininum continue datum, his admodum opitulatur. Hujus autem inopia, etiam caprillum datum, & potu & eſu, non ſolum, ſed etiam cum quodam frumentaceo aut pane, aut ſimilagine, aut libo ſuminali, aut alica, aut chytro. Proſunt his etiam ova molliſſima, & peponum cucumerumque medulla. In cibo autem nuces pineæ recentes, uvæ paſſæ, & ſemen cucumeris, item quæ ex hujuſmodi parantur: ita ut participent etiam anodyna, aut cicutam, aut opium, propter immodicum dolorem. Verum

non utendum eſt adeo frequenter anodynis, niſi pro virium ratione.

Medicamentum ad ſcabioſos veſicæ affectus & difficultatem urinæ & inflammationes efficax.

Nuces pineæ viginti, cucumeris ſativi ſeminis grana quadraginta, amyli, ſpicæ nardi, ſingulæ drachmæ: apii ſeminis drachmæ decem. In aquæ ſextario nardus & apium coquuntur: deinde decoctum miſcetur prædictis. Dantur cochlearia duo.

CAPUT VIII.

DE DIABETE.

DIABETES appellatur, quum urina immoderatius excernitur, frequenter ſimulatque potus aſſumitur: quale etiam lienteria affectis accidit, ut cibi excernantur, & ne paululum quidem in ventriculo evinci alterarique & corpus nutrire poſſinat. Quare aliqui non diabetem modo affectum nominant, ſed etiam in urinas profluvium, eo quod potus ſtatim profluit. Quoniam vero immoderate ægri ſitiunt, quum humidum omne excernatur, affectum etiam *Dipſacum* nuncuparunt. Talis igitur eſt, & variam appellationem ſortitur. Fit autem ob retentricis renum facultatis imbecillitatem, & propter attractricis robur, quæ ob caliditatem non humores ſolum venarum, ſed etiam totius corporis, immoderatius attrahere compellitur.

Quapropter adverſus hanc quoque intempe-

In præſentia vero a victu exordiamur, docentes ipſum nihil calidum, aut quod bilem omnino creare poſſit, recipere debere. Sic igitur & toti corpori & affectis partibus providere oportet. Cæterum & victus obſervandus eſt, ut ipſe & refrigerans & humectans exiſtat. Cavendum autem quicquid calefaciens valde, bilioſum quid procreare poſſit.

Aliud ad eos qui tardius purgantur.

Roſarum ſucci unciæ tres, ſcammonii, mellis, ſingulorum uncia: tithymali lacrymæ ſcrupuli tres. Datur cochlearium unum vel duo, ſecundum ægri vires. Hoc medicamentum ad multa valet, ter-

tiana laborantes, arquatos, & lippitudine affectos: atque ſine moleſtia noxaque ſumitur: nec non acre exiſtit. Cum fiducia ipſum dato, quomodocumque velis, præſertim febricitantibus cum ptiſanæ cremore.

De oleribus.

Inter olera aſſumantur intybus, lactuca & malva. Sin autem eis oblectentur, etiam bletum, chryſolachanum, ſonchus, & quodcumque refrigerare & humectare poteſt. Braſſica vero, naſturtium, eruca, porrum, & allium, ut inimica vitari debent.

De avibus.

Ex avibus offerantur phaſiani, gallinæ cohortales non pingues, attagenes, perdices, merulæ, turdi.

De piſcibus.

Piſcium ſaxatiles præſertim, & alii, quibus ſubſtantia alba, friabilis natura, & nihil pingue habet. Paluſtres autem vitentur. At omnia condimenta recrementis vacua ſint, neque olei, neque ex acribus ſeminibus multum recipiant.

De iſicio.

Iſicium vero quod ex his paratur, utile quoque eſt, præſertim ex durioribus confectum, ut orpho, ceride, teuthide, ſepia, pectinibus. Teſtacea exhibere metuendum non eſt.

De carnibus.

Ovillarum carnium decoctum aſſumant, & ma-

xime ventriculi boum. Similiter novi quoſdam qui ita fluxione copioſiſſima & acri laborabant, maxime carnibus bubulis adjutos. Dicebant enim non amplius ſe continue aut vehementer pedibus dolere, quemadmodum quum tenui victu uterentur: eſſe autem pedes bubulos, & ventres, magis quam decoctum. Porro erat hic ætate florida, calido temperamento.

De leguminibus.

Inter legumina exhibeantur tum ipſæ fabæ virides, tum ſiccæ leniter fervefactæ: item phaſeolum Alexandrinum, præſertim maceratum, & fœnigræci germina. Adhæc alica & ptiſanam aſſumere alienum non eſt. Reliqua vero legumina ipſos vitare ſatius eſt.

De fructibus pomaceis.

Fructum pomaceum ſiccum æſtivum, admodum dulcem & maturum, offerre conſulo circa horam ſecundam, aut tertiam: præſertim Perſica, aut rhodacina, & uvam duram, & non adſtringentem, damaſcena, mala dulcia, citria purgata, & excorticata probe. Pirum vero, malum Punicum, aliaque omnia raro aut nequaquam offerri debent.

De tragematis.

Ex bellariis caſtaneas potiſſimum ſumere conducit: non autem nuces, aut pineas, aut amygdala, imo nec placentas, aut liba. Omnia enim hæc iis ſunt noxia, quorum articuli bilioſi recrementi fluxionibus infeſtantur.

De motu.

Moveantur autem ægri mediocriter citra magnam laſſitudinem, & ante cibum potius quam poſt. Nam laſſitudo his maxime adverſatur, ut quæ articulos largius excalefaciat, incendatque, ut ipſi aliam rurſus materiem ex longinquioribus particulis ad ſe attrahant, arripiantque, atque ideo cauſam fluxionibus ſuppeditent.

De balneis.

Balnea dulcis aquæ his conducunt: atque ea quæ veſperi adhibentur, magis quam matutina. Nam poſt cibum ſumptum, maximam vim ad calidorum intemperiem corrigendam obtinet, præſertim in gracilibus, ſiccioribus & acrioribus corporibus. Nam in ejuſmodi, ſi quotidie balnea adhibeas, non eis nocebis, ſed plurimum etiam adjuvabis. At priuſquam æger in calidum balnei aerem ingreſſurus ſit, confert ei pedes prius aqua frigida irrigare. Ubi vero mediam domum balnei ingreſſus fuerit, deinde modice ſudaverit, ſitulæ tepidæ ei ſuperfundentur: atque ita totum corpus hydrelæo perungi oportet. Porro balnei aerem temperatum eſſe convenit, ſimiliter etiam lavacri ſolium. Poſt unctionem ex tranſitu ſtatim in calidæ ſolium æger ingredietur. Quod ſi etiam frigidam aquam influere contingat, pedes ſcaturigini ſubmittat, priuſquam in ipſum deſcendat. Egreſſus rurſus e thermis, deſcendere omnino in frigidæ ſolium debet: &, ſi æſtas fuerit, & oblectetur, in ea natet. Veſtimentis autem indutis, pedibus iterum aqua frigida in-

jiciatur. Reverſus a balneo in domum æger non ſtatim bibat vinum, præſertim merum: ſed ptiſanæ cremorem aut tepidam aquam prius aſſumat. In medio autem prandii, ſi æſtas fuerit, aquam frigidam: ſin autem hyems, temperatam bibat.

De vinis factitiis.

A vinis factitiis abſtineant: ſin autem oblectentur, ſumant aut roſatum, aut abſinthites, ſimiliter refrigerantes, quemadmodum Romani facere conſueverunt id quod vocatur recentatum. Ita ſane præſervari debent ii, qui bilioſi humoris fluxionem in articulis experiuntur. At ſi quando rurſus aliquem fluxionibus corripi contigerit, eo quod negligentius ipſe (ut veriſimile eſt) victus rationem obſervarit, tali via ac modo uti debet, ac nullum calefaciens offerre, ſed quæ magis refrigerantis ſunt facultatis: ex quorum numero habentur pſyllium, ſolanum, portulaca, altercum, ſempervivum, lactuca, & paluſtris lenticula. Sed hæc ſane omnia per ſe lævigata, & præſertim viridia, dolores qui in acceſſionibus oriuntur, abunde lenire poſſunt: adhuc etiam magis, ſi paucis farinis hordeaceis vel unum ex prædictis vel duo admiſceas. At ne ſicceſcant, utile eſt etiam roſaceum cataplaſmati adjicere: ac frigida omnia his adferantur, mutenturque crebrius, ut frigiditas permaneat. Scire autem licet, ſemen pſyllii, ſi aqua maceretur, & diligenter ſubigatur, viſcoſumque fiat, & hordeaceis farinis permiſceatur, mirabiliter dolores mitigare, fervorem & ardorem doloris extinguere, & affecta loca ad temperiem bonam reducere. Si igitur herbarum copiam habes, commodum

eſt his uti: ſin autem tempus non permittat, harum loco cerato roſaceo mitigare, quod pulchre adverſus calidas intemperies reſiſtere poteſt, præſertim ſi frequentius immutetur: verum ceram refrigerare ſemel atque iterum oportet, priorem aquam mutando. Validius ipſum reddes, ſi uvæ acerbæ ſuccum, aut portulacæ, aut albumina ovorum, & ptiſanæ cremorem admiſcueris.

Porro ad intemperies non admodum ardentes optimè facit etiam ceratum ex lomento factum. Habetur autem hoc pacto: ceræ uncias quinque, chamæmelini, roſacei, ſingulorum uncias duas, & ſemiſſem: lomenti ſemunciam, ovorum octo lutea. Hæc primum lævigato, deinde facto cerato, in pila miſceto: exceptis utitor frequentius.

At ſi magnus quidam dolor urgeat, etiam medicamenta quæ ex croco, ſucco coriandri, glaucio, & exiguo opio parantur, adhibere convenit: verum ſolvere ea ex poſca oportet. Cæterum ſciendum eſt, epithematum & unctionum quæ torporem inducunt, liberaliorem uſum cavendum eſſe, ut quæ magis offendant quam juvent. At ſi ob vehementem dolorem æſtumque ipſis uti cogamur, animus diligenter adhibendus eſt, ne hujuſmodi auxilia diu incumbere permittamus: verum ſive unctiones, ſive pharmaca eſſe quæ adhibentur, acciderit, conandum eſt, ſtatim ſimul atque fervor doloris finierit, ipſa prorſus auferre. Univerſa namque hæc diutius inhærentia, torporem & movendi difficultatem in articulis excitare ſolent. Si igitur, dum nos ipſis immoderatius utimur, ejuſmodi fieri contingat movendi difficultatem vel torporem, tunc commodum eſt uti etiam medicamento διὰ χυλȣ

ex chamæmelino ſoluto, vel δι' ἀλθαίας. Hæc enim omnia concoquere ſolent, & morbos ex intempeſtivo frigidorum uſu oborientes reſtituere. Medicamenti δι' ἀλθαίας ſcriptura eſt talis.

Medicamentum δι' ἀλθαίας.

Fœnigræci, ſeminis lini, althææ, ſingulorum uncias quatuor. Hæc omnia triduo ex novem aquæ ſextariis in vaſe æneo macerabis, deinde coques, ut quam craſſiſſimus eorum ſuccus fiat: percolabis eum, exprimeſque fortiter, & libras duas ejus ſumes: olei autem veteris totidem cacabo injicies, coqueſque lento igne, donec ſuccus conſumatur, & ſolum oleum remaneat: iterum colabis, indeſque cacabo mundo, & appones igni. Huic addes ceræ, colophoniæ, ſingulas libras: galbani boni uncias quatuor. Sublatum ab igne ceratum vaſe condito, & utitor. Confert etiam, quod a multis paratur: verum hoc multum ſum expertus, non ſolum in podagricis, ſed etiam viſceribus induratis, & aliis ſimilibus multis.

Ubi vero refrigerati articuli incaluerint, & proprio rurſus agi motu inceperint, robur etiam partibus adjiciendum, ne ſubito in poſterum fluxionibus tententur. Erit autem hoc commodius ſi palmulato cum aceto roſaceo liquato utamur. Inopia autem roſacei, id quod ex immaturis uvis fit oleum proficiet. Verum prius convenit ipſum mollius imponere, quod mitem habeat ſubſtantiam: poſtea vero quum articuli moventur, etiam dura glutinantium craſſitiem ſortita admovere, rationi conſonum eſt.

At ſi medicamenta ferre æger nequeat, (multi

enim ſunt, qui medicamentis impoſitis graventur) non alienum in hiſce uti etiam aliis quibuſdam quæ affecta confirmare poſſint. Sunt igitur permulta, præſertim ſuccus acaciæ cum poſca illitus: item lycium una cum croco, & glaucium: nec non ſuccus perdicialis ſimul cum poſca illitus validam vim obtinet. Sunt autem & alia ſimilem his facultatem conſequuta: ſed hæc quoque ſufficiant, quæ pauca ſane prædictis eſſe videntur, ſed validam vim repræſentant. Et ſiquis ipſis etiam per ſanitatem uti velit, confidat ipſas partes, quæ prius injuriis affici, & crebris fluxionibus tentari conſueverant, ſanas & a fluxionibus liberas conſervatum iri.

Si podagra ex pituita provenerit.

Hoc igitur modo curari debent, qui ex bilioſo humore, calido & acri, fluxiones experiuntur. At ſi id quod influit, pituitoſum eſſe contingat, & fluxus frigidus in affectis particulis percipiatur, neque ipſæ rubræ, neque fervidæ ſunt, ſed magis extenſæ, calidis quidem juventur, frigidis autem moleſtentur lædanturque: præterea ſi etiam vita ipſorum quæ præceſſit, frigida fuerit, humorem magis pituitoſum eſſe, qui articulis influit, indicatur. Nam otium magna ex parte præcedit potius quam exercitia, item creber plurium ciborum & vitioſos ſuccos generantium uſus, ut iſiciorum, aſtacorum, aut buccinorum, aut pectinum, aut polypodum, aut leguminum, aut plurium pomorum, & intempeſtivarum lavationum. Si igitur hæc quoque præter alia indicia, id quod influit, frigidum & pituitoſum

eſſe tibi oſtenderint, cum fiducia tandem ad curationem ipſius accedito.

De curatione.

Dicamus igitur jam quomodo etiam frigida podagræ ſpecies curari debeat. Quod igitur influxus qui ex frigido humore pedibus accidit, calefacientibus ſemper indigeat remediis, omnibus manifeſtum eſt. Quia vero id, quod in partem defertur, non ſemper eſt ſimile copia, vel qualitate, vel ſubſtantia, ſed aliis quidem id quod influit, copioſum, aliis autem exiguum, & quibuſdam craſſum, quibuſdam tenue, & his in ſumma cute, illis circa membranas interiores, neceſſe eſt nos quoque ita ſimiliter ad qualitatem & quantitatem affectus præter naturam reſpicientes, tum copiam, tum qualitatem, tum (ut ſimpliciter dicam) omnem curationis modum morbo indicato accommodare.

Si igitur id quod offendit pituita eſſe tibi videatur, hanc ante omnia medicamentis in id efficacibus evacuare neceſſe eſt. Non enim fieri poteſt, ut qui remediis parti inducendis utitur, aliquid ferat adjumenti, niſi totum corpus primum recrementis liberum reddiderit.

At ſi quod offendit, non modo pituitoſum fuerit, ſed etiam ſanguineus ſimul humor abundans appareat, utraque fieri debent: ſed venæ quidem ſectio prius, deinde ſic viribus recreatis, ad medicamentum purgans veniendum eſt, quod pituitam craſſam & non ſeroſam attrahere poſſit: quemadmodum plerique faciunt, lathyridas, liquorem tithymali, & granum cnidium ipſis exhibentes: qui dum tenues pituitas evacuant, autores

tores magis læſionis quam auxilii fiunt, qui humores craſſiores adhuc magis ſiccos & ad diſcutiendum contumaciores reddant. Itaque talia medicamenta ſemper vitari debent: ſin autem etiam dederit a iquis, admiſcere ipſis quædam extenuantia oportebit. Sic enim talium miſtura vacuationem, quæ ex ipſis provenit, innoxiam ac tutam reddet. Certe oxymel Julianium tale eſt, ex iis quæ extenuant compoſitum, repurganſque non modo ſiquid tenue, ſed etiam craſſum, articulis affixum & inſinuatum exſiſtit. Hæc porro eſt ipſius compoſitio.

Oxymel Julianium

Rutæ, origani, lathyridum, tedarum, alypiadis, ſcillæ, ſurculorum ſambuci, pulegii, ſingulorum unciæ tres: comæ thymi unciæ quatuor: anethi, mandragoræ radicis, ſingulorum ſemuncia: iridis, folii, coſti, ſpicæ nardi, aſari, veratri albi, hyſſopi, amomi, hyperici, cumini, ſingulæ unciæ, agarici, polypodii, epithymi, aniſi, ſingulorum unviæ duæ: rheu pontici ſeſcuncia. Lathyridas, coſtum, granum cnidium, & ſpicam nardi cocto oxymeliti inſpergito. Sint autem aceti ſextarii decem aut tredecim, mellis ſextarii quinque. Herbas triduum in aceto macerari ſinito, deinde ſic excoctis, dum amplius dimidio conſumptum fuerit, mel adjicito, inſpergitoque: tunc quæ inſpergi debent, granum cnidium, lathyridas, coſtum, & ſpicam nardi, ſimul lævigata excipito, ac pro viribus utitor. Modus ſummus eſt uncia, minor ſcrupuli octo. Ita ſane plerique parant Ego vero tantum in oxymelite agaricum in tenuiſſimum pulverem redactum inſpergens, ſuavius & minus moleſtum effeci. Fre-

quenter autem ipſi ſcammoniam adjecimus, quum validius purgare vellemus.

At ſi non libenter ægri oxymeli aſſumant, catapotia ipſis dato ex ovis. Sint autem ejuſmodi, ut poſſint & ipſa viſcoſa craſſique ſucci recrementa ex articulis purgare. Multa igitur talia habentur: majori autem in uſu ſunt, quæ a nobis in hunc modum conficiuntur: aloes hepaticæ, colocynthidis, veratri nigri corticis, ſingulæ unciæ: euphorbii, nitri, ſingulorum ſemuncia: ſucco braſſicæ, aut malorum, aut citrii excipiuntur. Utitor pro virium ratione. Præſtat autem non modo ſemel, ſed etiam frequenter ipſa exhibere. Neque enim craſſiora recrementa univerſa ac una vice extrahi poſſunt, ſed paulatim, & per vices. Nam hoc pacto ex frequenti ipſorum uſu extenuatur ſiquid craſſum viſcoſumque intus hæret, & idoneum magis trahentibus ad evacuationem redditur, Cæterum ſciendum eſt, ipſa non modo præſervationis gratia, per morbi intervalla dari debere, ſed etiam in ipſius circuitu. Nam acceſſionem valde mitigant, dum materiam ex partibus affectis eliciunt, nec in poſterum fluxione tentari ſinunt

Poſt purgationes antidota etiam nonnulla exhibere convenit, quæ viſcoſa craſſaque recrementa extenuare probata ſunt. Juvantur autem his omnium maxime, qui natura pituitoſi ſunt, humidoque & frigido tenperamento præditi: quemadmodum rurſus offenduntur valde, qui ardoribus æſtuant, curiſque & vigiliis per totam vitam conficiuntur. Multa igitur ſunt antidota, quæ validam vim habeant, oſtendantque crebro maximam in pituitoſo & humido temperamento præditis efficaciam.

Sed ego nullum præſtantius eo quod διὰ κοραλλίων dicitur inveni. Nam præterquam, quod nihil in potu habet inſuave, præterea etiam efficax & abſque periculo exſiſtit. Non enim immoderate ſiccat, ſed eo quod in altum penetrans viſcoſos affixoſque articulis humores extenuet, utilitatem indicat. Habet ſe autem antidoti deſcripcio in hunc modum: corallii ſcrupuli ſex, myrrhæ Troglodytidis unciæ quatuor; caryophylli ſcrupuli duodecim, rheu Pontici uncia, folii (phylli) dolum non experti ſcrupuli duodecim, pæoniæ radicis unciæ, ariſtolochiæ longæ unciæ duæ, ariſtolochiæ rotundæ tantumdem, ſpicæ nardi unciæ quatuor. Hæc optima & ſincera deligens, ne medicamentum iis quæ promittit fruſtretur, contundito; & tenui admodum cribro incernito, datoque ægro ſcrupulum mane ex tepida, & æger a cibo abſtineat horis ſex: initium autem antidotum hoc exhibendi ab ipſis Januarii calendis fiat, capiatque æger primum quotidie per dies centum, & intermittet triginta, deinde iterum bibet per dies centum; & quindecim intermittet. Quum ducentos ſexaginta dies abſolverit, potiones autem ducentas aſſumpſerit, dabis iterum alternis diebus, & in centum ſexaginta diebus potiones octuaginta aſſumet. Et poſtea rurſus in ducentis ſexaginta diebus octuaginta potiones abſolvet; ſingulas duobus diebus interpoſitis aſſumens, donec trecentæ ſexaginta quinque potiones aſſumptæ fuerint. Caveat autem qui bibet, iram, venerem, vini adſtringentis vel admodum dulcis potum, omniaque acria olera: piſcium capita, cancros, aſtacos, ſepias, ſmylas, betas, carnes leporinas, legumina omnia, præſertim fabam.

Tale ſane eſt antidotum, & qui morbo in totum liberari velit, cum fiducia ipſo uti debet.

Quoniam vero (ut diximus) non omnibus ſimiliter pituitoſus humor ſuperat, neque idem omnium temperamentum eſt, conſtat omnes uno antidoto curari non poſſe, ſed alios imbecillioribus, alios efficacioribus: neceſſarium ergo mihi viſum eſt & utile, non modo unius, ſed etiam diverſorum mentionem facere, ut is, qui ea ad ſuperantem vitioſum humorem accommodare velit, ex eis quod ipſi appareat, commodum ac ſalutare deligat.

Antidotum HERACLIDIS *philoſophi, in multis valde probatum*

Spicæ nardi, folii, ſingulorum unciæ duæ, gentianæ Creticæ, ariſtolochiæ longæ, ariſtolochiæ rotundæ, myrrhæ Troglodytidis, ſingulorum drachmæ quatuor: baccarum lauri excorticatarum drachmæ quatuor, rheu Pontici drachmæ quatuor. Summus modus antidoti eſt drachma: licet autem plures dare, ut medicus qui exhibet conſideraverit, etiam ad omnia reſpiciens. Verum hoc antidotum non ſimpliciter initio dandum eſt, ſed tempore convenienti. Optimum autem & primum antidoti exhibendi tempus eſto incipiente vere, & ſole arietem tranſeunte: ſin autem aliquid hoc in tempore dare prohibeat, iterum circa extremam autumni partem dare incipito. Verum ſatius eſt id tentare, in frigidiore temperamento præditis, incipiente potius vere: in calidioribus autem, quum autumnus jam deſinet. At quotidiana dandi ratio matutina eſto, ſi concoctio probe præterierit: ſin minus, differatur. In illo autem die capiet circa horam ſecundam

aut tertiam, quum ructum puriorem & recrementis liberum percepit. A medicamento ad horam fere quintam, a cibo motuque abſtineat: in quiete & hilaritate animi permanens, ab omni ira ſeipſum conſervans: ut ne medicaminis diſtributioni ſit impedimento. Etenim hoc ſemper curandum eſt, in his autem adhuc magis. Quemadmodum enim in multis ſucceſſus magnum adjumentum conciliat, ita etiam fruſtratio maximam moleſtamque noxam inducit. Sit autem quotidianus exhibendi modus drachma: & non intermittas antidotum uſque ad menſes ſex bibere. Quod ſi vero dilatio quædam aſſumendi medicamenti orta fuerit, intermiſſum diem compenſare oportet. Ego autem aſſevero, in iis qui pituitoſo & humido ſunt temperamento, etiam ad annum uſque in medicamento exhibendo utiliter perſeverari. Quanto enim diutius in illo ſumendo quis perſiſtet, tanto magis ſuperare morbum ac evincere poterit.

Cæterum poſt hæc data antidota, conſulo omnino per intervalla duorum aut trium menſium corpus purgari, eo quod vitioſus humor admonitionem morbi generationemque iterum excitat. At ſi æger continuam purgationem vitet, ſaltem antidotum, quod antea per intervalla capiebat, ſumat, præſertim vere & autumno. Ita namque faciens aliquis, à recrementis & fluxionibus liber in poſterum evadet, non amplius ſuffocationem aliquam, neque aliud periculum metuens. Sciendum autem, illos maxime periclitari, qui poſt quintum aut ſeptimum annum hujuſmodi antidota aſſumere voluerunt: qui vero incipiente affectu uſi ſunt, deinde etiam pur-

gationibus, poſt ipſius diſceſſum, nullum periculum deprehenderunt.

Antidotum podagricum AGAPETI, *& ipſum præclarum, quo multi ſanati ſunt.*

Spicæ nardi, iridis, myrrhæ Troglodytidis, anagallidis quæ cæruleum florem profert, pæoniæ radicis, ſingulorum unciæ duæ: caſiæ, croci, mei, folii, maſtiches, aſari, erythrodani, ſingulæ unciæ: damaſonii, ariſtolochiæ longæ & rotundæ, ſingulorum unciæ quatuor: caryophylli ſemuncia, phu ſeſcuncia, aloes hepaticæ unciæ tres. Detur drachma: æger ad annum uſque ſumat.

Quum tanta de remediis univerſalibus diximus, tranſeamus deinceps ad auxilia, quæ partibus imponuntur: initium ſumentes ab iis, quæ doloribus ex frigida intemperie contractis conveniunt.

Cataplaſmata, quæ locis ex frigido humore dolentibus admoventur.

Quum mediocris quidem dolor eſt, in iis etiam braſſica confert, ſi conciſa obducatur: item apiorum folia, ſimiliter etiam conyza. Sin autem dolor vehemens ortus fuerit ut ferri non poſſit, in his uti cataplaſmatis oportet præſertim mitigantibus: qualia ſunt quæ farina fœnigræci, ſeminis lini, lolii, & melle modico conſtant. Fœnigræci farinæ ſint partes tres, lolii pars una: non diſſuadeo, etiam cicera ipſis ſimul admiſcere. Cæterum coquito ipſa ex vino tenui & calidiore, nardinoque unguento, & Cyprino modice incocto, præſertim hyeme: tunc enim, etſi

calidius quippiam ipſis adjicias, non offendes, ſed etiam potius juvabis. Nam ad dolorem levandum diſcutiandumque efficacius erit id quod admovetur. Miſceantur igitur ipſis, ſi quidem opus erit etiam paulo adhuc calidius cataplaſma efficere, tum folia lauri, tum alia molliſſima: & conyza ſimilitter, aut apium, aut ſmyrnium, & quæ alia ejuſdem ſunt facultatis. Verum cataplaſmatis portio ſi major: multo autem minor juris ex his decocti, quod cataplaſmati admiſceatur. Si enim plus herbarum adiectum fuerit, præſertim inter initia acceſſionum, plurimum nocere ſolet.

Commodius igitur eſt in declinationibus, iis quæ magis diſcutiunt uti: prius autem lenire expedit. At ſi æger dolorem, quum cataplaſmata imponuntur, immoderatum eſſe & intolerabilem dicat, neceſſe eſt tunc uti ſuperfuſionibus, quæ diſcutiant ſimul & repellant: ex quarum numero una etiam hæc eſt frequenter in multis celebrata: habetur autem hoc pacto: ex aceto acerrimo decoquito thymum, origanum, ſaturejam, & calaminthen, in montanis potius locis decerptam. Ubi igitur herbæ coctæ probe fuerint, omnemque vim ipſarum exuerint, tunc aceto reliquo adhuc calido accepto partes affectas ſuperfundito. Non modo enim ſemel, ſed etiam ſæpe experientia probatum eſt: ac mirum quod in calidis quoque fluxionibus adhibitum profuerit, & defluxionem rurſus alteram oriri prohibuerit.

Ubi vero dolor poſt ſuperfuſionem moderatior evaſerit, etiam ceratis, ſi res poſtulet, uti licet, non ſolum, quæ ſummam cutem infeſtantia, ſed etiam in alto fixa calefacere & diſcutere queant. Ac primum ſane conducit ceratum, quod ex ſtruthio paratur, & vim mitigatoriam digerentem-

que obtinet, admovere. Confectio ejus ita ſe habet.

Ceratum ex ſtruthio.

Suffiminis ammoniaci, lactis vaccæ nigræ, ſingulorum unciæ tres: ſeminis lini unciæ octo: ova quatuor. His in lævorem tritis, ammoniacum ex lacte macerato, lævigatoque: deinde addito colophoniæ uncias tres, adipis ſtruthii uncias duas ſemiſſem, confectis utitor.

Aliud optimum.

Epithema, quod ex euphorbio paratur, validum eſt ad ampliores perfrictiones, & intolerabiles ex his dolores contractos: necnon articulorum infarctus, obſtructioneſque. Habetur autem ejus conpoſitio hoc pacto: olei veteris ſeſquilibra, ceræ, nitri Alexandrini, terebinthinæ electæ, ſingulorum libra: euphorbii uncia, iridis Illyricæ unciæ duæ, fœnigræci farinæ ſeſquiſextarius. Nobile eſt medicamentum, & in multis ejuſmodi affectibus frequenter approbatum. Etenim ſummam cutem diſcutit & vellicat, trahitque ex alto quæ impacta ſunt, & diſcutit, dolorem exſcindit, & (quod omnium optimum eſt) manus non inquinat, & ſine moleſtia aufertur. Novi autem ipſum quoque euphorbium, una cum oleo & cera incoctum, etiam magnos dolores a frigido humore natos mitigaſſe.

At mirari non debemus, quod euphorbium, quum ſit adeo calidum & rodens, commendemus tanquam dolores lenire poſſit. Sunt enim nonnulli cruciatus, qui immutari nequeunt, niſi aliquod acrius ipſis admoveas. Itaque ratio neque

horum quicquam miratur, neque utentes damnat: quemadmodum nec quum videt contraria quædam ex dulcibus aquis in vehementi defluxione adhiberi, ſed conſiderat nimirum & diſcernit probe, methodumque admiratur. Ut enim ex tenui, rodenti & acri humore dolentibus balnea jure profuerunt: (partim enim diſcuſſerunt, partim etiam ad bonam tenperiem redegerunt) ita rurſus frigidorum humorum defluxiones expertis, qui articulorum membranas dolere dicant & diſtendi, merito uſus eorum, quæ cutem calefaciunt, rodunt & vellicant, profecit. Ego ſane novi quemdam ſolo ſinapi in hujuſmodi, dum maxime urgerent acceſſiones, utentem, dolore liberatum. Admiſcebat ei frequenter ficus ſiccas, & acetum, eaque ſubigens emplaſtri forma, medicamentum ſic imponebat. Ac alium ſimiliter ſpectavi medicamento διὰ κανθαρίδων uſum, ac maximas gratias agebat. Nam puſtula; quæ a medicamento fiebat, rupta, multus humor excernebatur: atque hoc eveniente, plurimum juvari ſe dicebat. Item διὰ σκόροδων, *quod ex alliis conficitur*, aliis profuit, aliis obfuit: ipſaque ſola allia inducta, & præſertim quæ cruſtam faciunt, apud barbaros iſcæ dicuntur.

Ego vero non laudo hujuſmodi medicamenta quum per ſe admoventur; nocent enim maxime, etiamſi lenire videantur, quum nihil habeant quod emolliat, extrahatque refrigeratos humores, & admodum infixos. Nam id quod tenue eſt, ſolum per ea exhalat: craſſum autem & terreſtre relinquitur, ut quod manere & articulis infigi ac adhæreſcere compellant. Præterea magis exſiccant, & ſiccante ipſorum vi, atque calefactoria, quæ ineſt ſinapi, & acribus omnibus,

nimium aſſant. Quod autem hoc evenit, nulli non conſtat: nam omnes ſolis adeo acribus medicamentis quæ, nihil habent emolliens uſi, præſertim initio, & quum urgeret copia, articulos nacti ſunt ad motum difficiles, & poſt longum tempus tantum eo revertentes ut potuerint incedere.

Conſultius igitur eſt his ſolis non uti, aut eum qui utitur, ſtatim tranſire ad illa, quæ diffundunt, emolliunt, incidunt, & in altum penetrant, ut articuli rurſus veterem motum per hæc iterum poſſint recipere. Siquis unius auxilii facultatem habeat, quod ambo præſtare queat, bene habet: ſin minus, licet etiam particulatim ipſis uti, interdum ſane laxantibus & diſcutientibus (ita namque materia tandem diffundi poterit), interdum extenuantibus vellicantibuſque affectas partes, omnem in alto repoſitam articulis materia ſubtraherem. Porro ne quis compoſita medicamenta ex aliis colligere veteribus cogatur, neceſſarium eſſe duxi, etiam horum compoſitiones apponere. Nam medicus, qui non in operibus exercitatus eſt, neque multos veterum commentarios commode poteſt evolvere.

Unctio ſimplex diſcutiens, & induratos articulos reſolvens.

Olei populei, ceræ, adipis anſerini, ſingulæ unciæ: euphorbii ſcrupuli quinque. Ceram cum oleo populeo liquefacito, deinde adipem adjicito: cocta refrigerataque in pilam diffundito, ac euphorbium detritum paulatim inſpergito, rurſuſque oleum populeum ſuperfundens, lævigato uſque ad conſiſtentiam neque craſſam admodum, neque liquidam.

Unctio, quæ διὰ κισσοῦ ab hedera dicitur, ad eadem.

Olei veteris libræ decem, cupreſſi galbuli viginti quinque, ſabinæ viridis libra, roris marini viridis libra, lauri virentis baccæ centum, fœnigræci ſextarius, althææ viridis libra, corticis pinei tantundem. Hæc contuſa in aquæ ſextariis ternis ad triduum macerato, deinde adjicito oleum, coquitoque dum aqua fuerit inſumpta, poſtea oleo percolato, adjungito ceræ libram, colophoniæ tantumdem, hederæ lacrymæ uncias quatuor. Hæc ex vino Aſcalonitico admodum generoſo lævigato, atque ita omnibus exceptis, utitor ut præſtantiſſimo & mitigatorio medicamento.

At hoc valentius, quod vetuſtis vitiis etiam convenit, eſto id quod Lyſiponium dicitur. Habetur autem ejus deſcriptio in hunc modum: caſtorei uncia, euphorbii uncia, piperis, ſuffiminis ammoniaci, ſingulorum unciæ duæ: opopanacis, galbani, medullæ cervinæ, ſingulorum unciæ duæ: terebinthinæ reſinæ unciæ ſex, ceræ libra, irini, gleucini, cyprini, laurini, ſingulorum unciæ tres: olei veteris libra.

Aliud efficax, & in duris corporibus, & valde vetuſtis; quin etiam articulos recenti cicatrice contractos diſſolvit.

Adarces, opopanacis, caſtorei, galbani, terebinthinæ, piperis, ſingulorum unciæ quatuor: œſypi, ceræ, ſingulorum unciæ duæ, euphorbii uncia, ſtyracis, thapſiæ, ſingulorum unciæ quatuor; pyrethri unciæ tres, ceræ rufæ libra, olei Cyprini unciæ tres, tedacei unciæ ſex, laurini olei unciæ octo, olei veteris uncia, nardini libra, olei amaracini libra, balſami unciæ tres. Hæc deſcriptio ſtrenue valet ad partes reſolutas. Obſervandum

vero eſt, ne in ſiccioribus calidioribuſque corporibus utamur: ſed in iis qui carnem habent injuriis minus opportunam & duriorem, quæquam ex longo craſſos viſcoſoſque humores male habent, ut particulæ fluxionem expertæ nequeant diſtendi, neque ideo moveri.

Si pedes tumoribus pituitoſis laxiſque infeſtantur.

Si laxi tumores ſint, *quos Græci* οἰδηματώδεις *appellant*, in quibus humor qui influxit, neque craſſus & terreſtris exiſtit, ſed laxus & mollis, tangentibus ſtatim digitis cedens, ſpiritum flatulentum & pituitam humidam aquoſamque fluere ſuſpicamur. In his igitur conveniunt potiſſimum & ceratum quod ex ſale paratur, & unctiones. In quibus autem illitus aut unctiones nihil proficiunt, his etiam fomenta ex ſale torrefacto frequentius mutata, apte accommodantur. Etenim ab ipſis non modo leniuntur, ſed etiam plurimum adjuvantur. Ego ſane novi Romæ quendam virum longe clariſſimum, qui fomento ex ſale ſemper uteretur, atque hinc valde mitigaretur. Quod autem hoc opitulatur, omnibus eſt manifeſtum: numquam enim læſionem aliquam articulorum, neque tophum excitaſſe inventum eſt.

Confert porro his etiam calidiore balneo & ſicciore uti: item nitro tenui, ſale, & iis quæ cutem rodere, vellicare & extenuare poſſe, necnon humiditatem intus contentam attrahere deprehenduntur. Sunt autem multa a veteribus inventa: nos vero etiam hujus pulveris magnum fecimus experimentum.

Smegma aut pulvis egregius: vocant autem quidam ipſum Indum; alii Aſclepium.

Pulvis qui tophos emendat, atque ad laxos tumores, cum aceto inductus, bene facit, necnon ad eos, qui humidum caput & thoracem habent, item ad lepram valet, alphum, ſpirandi difficultatem, & aliorum vitiorum, quæ ex capite aut thorace originem trahunt; cauſas repellit: omninoque vitiatam materiem & copioſam diſcutit, ruborem in cute vehementem excitat, humores pravos vitioſoſque impactos & ferinos digerit, articulariis & ſtomachicis accommodum. Et qui perpetuo ipſo utitur, podagra laborare non permittit, vel coxæ dolorem experiri: item ad pruriginoſa impetiginoſaque corpora ſabit, pilos extenuat, ac vocatur ἰσόθεος, *quaſi dicas, æqualis Deo:* quoniam etiam ad elephanticos conducit. Habetur ipſius compoſitio in hunc modum.

Deſcriptio pulveris Indici.

Salis Cappadocici, ſalis communis, ſalis amari, ſalis ex nitri fontibus, ſalis trageſæi, nitri Alexandrini, aphronitri, pumicis, adarcæ, ſingulæ libræ: lapidis aſii floris, aluminis liquidi, aluminis ſciſſilis, nardi Gallicæ, veratri albi & nigri, herbæ lanariæ, feculæ, *hoc eſt fæcis vini*, combuſtæ, radicis chamæleontis, ſulphuris vivi, ſtaphidis agriæ, ſinapis, aluminis, junci anguloſi, piperis, terræ cimoliæ, ſeminis viticis, baccarum lauri ſiccarum, gallæ omphacitidis, lupinorum farinæ, lomenti fabarum, cumini, ſingulorum omnium unciæ tres: pyrethri, junci rotundi floris, thuris maſculi, gummi, iridis Illyricæ,

cucumeris ſylveſtris, radicis ſiccæ, marrubii ſicci, ſepiæ toſtæ, fœnigræci, cnici, grani cnidii, coſti, pulegii, graminis ſicci, prioniæ, ſingulorum unciæ tres: ſampſuchi vncia, folii unciæ duæ. Sales & nitrum olla recenti ſuper ignem torreto: reliqua ſiccata contundito, incernitoque. Utantur autem ægri ſubinde in balneo: quum jam ſudare inceperint, tunc caput decocto radicis ſalicis abſtergi curato. Hic pulvis præſtantiſſimus eſt, & valde efficax, præterquam calida intemperie affectis, & fluxionibus ex bilioſo & acri humore, necnon calido ſanguine excitatis: omnibus autem aliis fluxionum vitiis accommodari poteſt. Iis etiam pſilothra in balneis adhibere admodum conducit, qui ex pituitoſo humore podagra laborant: maxime in quibus ſumma cutis extenuari deſiderat.

Pſilothrum nobile ad podagram.

Thuris, maſtiches, lapidis aſii floris, pumicis toſti, alcyonii, ſtaphidis agriæ, cimoliæ, veratri, ſampſuchi, ſpumæ argenti, amyli, ſingulorum unciæ tres: ſpicæ nardi uncia, caryophylli unciæ duæ. Utitor pulvere, aut cum cremore ptiſanæ & oryzæ, uniuſcujuſque ſeorſim coctæ, ſit autem menſura utriuſque æqualis; & ſaponis Gallici unciis ſex ex cremore ſolutis calefactiſque antea. Pulveris cochlearia quinque inſpergito, calcis vivæ & incretæ libram, auripigmenti, ſandarachæ, ſingulorum ſeſcunciam: ac ubi penna probaveris, utitor. Hæc ſane valida etiam in maximis tumoribus adhibere convenit: ad moderatos autem tumores laxos, etiam loliacea farina cum aceto inducta, probe auxiliatur. Similiter etiam adeps ſuillus cum calce viva in pila ſu-

bactus, ut malagmatis ſubſtantiam induat, optime diſcutit laxos tumores, omneſque inflammationes, præſertim in genubus: item mala Punica acida cocta, lævigataque, & poſt coctionem applicata, quin & ipſa theriaca, ſi cum vino quodam tenui illinatur, probe diſcutere comprobata eſt. Tantum de podagra ob pituitoſum humorem proveniente interpretati, dicamus etiam quomodo dolor ex ſanguine in articulis obortus curari poſſit.

Si podagra ob ſanguineum humorem conſtituatur.

Quod ſi humorem, qui in articulos confluxerit, ſanguineum eſſe ſuſpicemur, ubi quidem nihil prohibet, vacuationem, quæ per venæ ſectionem adhibetur, tentato. Hac enim ratione multos novi aut in totum morbo liberatos, aut raro fluxionibus correptos, eo quod non neglexerint, ſed veris ſtatim initio ſanguinem ſibi detrahi curarint, non ſolum vacuandi, ſed etiam præſervationis cauſa id facientes. Abſtinendum eis a cibis valentis materiæ, & qui ſanguineum humorem magis adaugent. Norunt igitur hæc, etiamſi ego non ſcribam, omnes medici, quod carnes cunctæ, & ex his adhuc maxime ſuillæ, & vina dulcia, in univerſum omne alimentum copioſum, animi hilaritas, & motus mediocris, id efficere ſolent. Si itaque ambo obſervet quiſpiam, nempe ut vere ineunte ſanguinis vacuationem adhibeat, & cibis illum copioſum gignentibus abſtineat, corpus autem continue etiam exerceat, impigerque ad omnem motum fuerit, quomodo is hac ratione non liber a recrementis erit? Quando autem vacat recrementis, quomodo non fluxionum expers perma-

mebit, quum nihil ſit, quod adhuc in articulos defluere poſſit?

Cæterum utantur tales tepidæ aquæ potu magis, omnique ratione victus refrigerante, & quæ ſanguinis generationi adverſari queat. Ac multos novi ex his, qui quum vino tantum abſtinerent, non amplius morbum fuerint experti. Hac ratione copioſum vinum multo ſanguine præditis inimicum eſt. Commodum igitur eſt ipſos talia devitare, atque ſi in totum negligant, certe vere & æſtate hæc obſervare conentur.

Hæc igitur generatim facere convenit, in quibus defluxio a ſanguinei humoris copia provenire conſuevit. Quoniam vero nonnullos etiam ex victu parum obſervato defluxione corripi contingit, neceſſe eſt ideo curationes particulares interpretari, quibus inflammatione obſeſſis opitulari oporteat.

De remediis quæ locis inflammatis inducuntur.

Sciendum igitur eſt, utraque in partibus fluxione jam tentatis præcipienda eſſe, nempe ut id, quod in inflammatione continetur, refrigeremus & diſcutiamus. Optime igitur in his valet cataplaſma, quod ex ſempervivo paratur, aut cortices mali Punici, rhus & polenta in vino cocta inductaque. Etenim id quod influit repellere, & quod jam continetur, diſcutere, & exſiccare ſtatim abunde poſſunt: item partibus imbecillis robur adjicere, ut ea, quæ ad ipſa mittuntur, rurſus remittant. Porro coqui ex vino probe debent mali Punici cortices, & ſempervivum. Accurate vero lævigata, una ſimul cum polenta miſceri. Liquidum autem ipſum remedium & lævigatur, medio-

mediocriter affectis partibus imponere conducit: æſtate quidem frigidum, hyeme autem tepidum.

Itaque per initia acceſſionis, & quum dolor adhuc moderatus eſt, hæc adhibere vincit: ſin autem auctus fuerit, fomento ex cera, *quod* κηρεμβροχὴ *dicitur*, utendum eſt. Habetur in hunc modum: ſapæ partes duæ, roſacei pars una, ceræ minimum: ut fomentum tantummodo craſſius efficiat. Excipiantur autem omnia lanis ſuccidis, imponanturque per hyemem quidem tepida, in æſtate vero frigida.

At ſi inflammatio in alto fuerit, etiam nitri paulum, & olei dulcis, loco roſacei, ſæpe admiſceto, magiſque proficies.

Si dolor remanet, etiam cataplaſmate ex braſſicæ foliis uteris, habente ſe in hunc modum: foliis braſſicæ coctis lævigatiſque diligenter fæcem aceti, ovorum crudorum lutea duo, & roſacei paulum adjicito, ac mixta omnia ſimul lævigataque inducito, continue immutans medicamentum.

Ac vehementes dolores multum lenies, beneque facies, ſi etiam ſpongiam vino mediocriter adſtringente imbutam affectis partibus ſuperimponi juſſeris: ſin tale vinum deſideretur, poſca madefactam. Non autem ſuperfundantur partes iis, quæ ex polline farinæ aut hordeacea farina conſtant. Omnia enim hæc iſtis ſunt inimica, præſertim in quibus copia articulos offendit, doloremque excitat.

In quibus vero totum corpus recrementis vacat, non alienum eſt, quum magnus dolor urget, etiam cataplaſmatis ex farina hordeacea uti: ſint autem farinæ quidem hordeaceæ partes duæ, ſeminis lini pars una; immutentur frequentius.

Humidioribus autem, & non admodum fer-

ventibus utendum, quemadmodum medici faciunt, non ſolum articulos, ſed etiam alias partes admodum ardentibus farinis obducentes: ignari ſe cutem magis adurere & ſiccare, quam aliquid humoris ſubjecti diſcutere. Porro quod cataplaſmata, quæ largius coquuntur, præſertim quæ oleum in coctione recipiunt, magis ſiccent, manifeſtum eſt ex piſcibus & carnibus, quæ oleo friguntur: quippe ſiccantur & torrentur. Non convenit igitur temere cataplaſmata ardentia & fervida inducere, niſi totum corpus ſit recrementis vacuum: neque quum adhibes, ardentibus uti & fervidis.

Ego vero affirmo, ne adſtringentibus quidem & repellentibus in affectis partibus utendum eſſe, niſi totum prius corpus recrementis liberaveris. Nam quod articulis influit, ne ad principales partes recurrens ſuffocationis cauſa fiat ægro, periculumque mortis adferat, metuendum eſt. Sive igitur diſcutientibus, ſive repellentibus uti velis, totum corpus recrementis vacuare properato.

De tophis.

Quoniam vero etiam tophi, *qui Græcis πῶροι dicuntur*, pleriſque articulis fluxione tentatis oboriuntur, ſive ex inordinato quorumdam ciborum eſu, unde incoctus & crudus humor colligitur, ſive continuo torporem facientium, & anodynorum, *hoc eſt dolorem tollentium* medicaminum uſu, conſentaneum eſt ut ſciamus, quibus etiam in his & quando utendum ſit medicamentis, quæ tophos diſſolvere prædicantur.

Si igitur calida intemperies, materiam nimium adaſſans atque adurens, tophos generare videa-

tur, calefacientibus in his & acribus medicamentis uti non oportet. Etſi enim hæc procreatos jam lapides diſſolvere videbuntur, tamen efficiunt, ut etiam alii calculi obnaſcantur. Quare ſiquis his ad lapillos jam creatos diſcutiendum utatur, ſtatim rurſus ad ea, quæ mediocriter calefaciunt, & modice diffundunt diſſolvuntque, tranſeat: abſtineatque in poſterum ſiccantibus tum cibis, tum antidotis, quæ corpus calefacere & immoderatius ſiccare ſolent; omnia enim iſta tophos magis his generant, quam diſſolvunt.

At quibus non adeſt calida intemperies, ſed frigidiores, craſſiores, crudioreſque potius humores in articulis inſeruntur, his omnia ea, quæ & extenuare & calefacere poſſunt, opitulantur: & ſiquis ipſis uti velit, hic etiam natos jam lapillos conſumere, & ne alii naſcantur prohibere poterit. Ego ſane novi quemdam magnos tophos in articulis expertum conſanuiſſe, adeo ut etiam citra impedimentum incederet, eo quod antidotum continue aſſumeret. Antidotum vero, quod per totum annum bibebat, hoc eſt.

Antidotum ad tophos.

Centaurei unciæ quinque, chamædryos unciæ novem, hyperici totidem: ariſtolochiæ rotundæ, gentianæ, petroſelini, agarici, phu dulcis, mei, ſingulorum unciæ tres: ſpicæ nardi uncia. Excipito melle, datoque ex tepida aqua.

Ac alium quemdam novi, qui quum tophos habere incepiſſet, non alios amplius naſci permiſit, eo quod decoctum biberet, cruda craſſaque recrementa extenuans. Erat autem decoctum, quod bibebat, ex hujuſmodi herbis compoſitum: ori-

gano & chamæpity, quarum neutra calido & bilioſo recremento præditis convenit. At quia magna auxiliorum, quæ tophos diſſolvere conſueverunt, differentia exſiſtit, (alia ſiquidem ex acribus admodum conficiuntur, alia ex iis quæ magis emolliunt diffunduntque largius) commodum eſt, ut horum quoque diſcrimina vobis exponamus, ut pro diverſis ægrorum temperamentis, & tophorum articulos obſidentium magnitudine & malitia, liceat vobis medicamenta unicuique congrua, ex iis quæ hoc loco a me conſcripta ſunt deligere.

Ceratum excellentiſſimum, tophos articulorum diſſolvens, adeo ut neque an oborti fuerint, adhuc appareat.

Aphronitri unciæ octo, terebinthinæ unciæ duodecim, ceræ unciæ quindecim, olei veteris uncia una & viginti, lixivii quo piliarii utuntur lanis ſuccidis abluendis (quod etiam nonnulli προτόςακτον appellant) unciæ ſex. Utitor ut præſtantiſſimo & uſu probato.

Aliud uſu probatum.

Aphronitri, terebinthinæ, lixivii quo lanæ ſuccidæ abluuntur, propoleos, ſingulorun unciæ quatuor: ceræ unciæ novem, colophoniæ libra, olei veteris unciæ ſedecim. Mixtis utitor, & in tophis & abſceſſibus admodum ſubito auxiliantur. Commoda igitur hæc ſunt, & plurimis experimentis comprobata. Sed his adhuc multo efficacius eſt quod ex cinnabari, ſalis flore, & aliis

plurimis metallicis paratur, cujus deſcriptio hoc pacto habetur.

Medicamentum διὰ κινναβάρεως.

Argenti ſpumæ libra, olei veteris ſextarius, ſquamæ æris uncia, æris combuſti uncia, cinnabaris ſcrupuli octodecim, magnetis vivi uncia, lapidis phrygii drachmæ ſex, lapidis pyritis uncia, thuris uncia, aloes unciæ duæ ſemis, galbani ſeſcuncia, cadmiæ uncia, diphrygis unciæ duæ, æruginis raſæ uncia, ſuffiminis ammoniaci ſemuncia, lapidis onitis Scythici ſcrupuli octodecim, lapidis hæmatitis uncia, propoleos libra & ſeſcuncia: lapidis perdicitis uncia, betonicæ uncia una & ſcrupuli octo: gentianæ uncia, ariſtolochiæ longæ ſemuncia, chamæleontis nigri uncia, dictamni ſeſcuncia, reſinæ ſiccæ libra una & ſemis, adipis ſtruthiocameli libra. Lapides cum ſpuma argenti teruntur ſeorſim, adjectis ſalis floris libris duabus, donec omnia diſſolvantur. Hoc medicamentum plurimis experimentis probatum eſt, non ſolum in condylomatis, ſed etiam ſtrumis, ramicibus aquoſis, hydropicis, lienoſis, aliiſque plurimis & maximis vitiis, quorum hic mentionem facere ſuperfluum eſt. Hoc ſolum ſciendum eſt, ad omne id vitium accommodum appellari, eo quod in varios uſus ipſum adhiberi, omnes medici confitentur: ac mirum eſt, idem, præterquam quod non calefacit, etiam articulos non valde exurere, ſed etiam tophos in ipſis diſcutere ſolere. Hoc ſane efficax eſt medicamentum, ſed non facile paratur. At quod ex avellanis conſtat, *quod διὰ λεπτοκαρύων Græce dicitur*, ambo conſequitur: etenim & facile pa-

ratu eſt, ſimul & efficaciam obtinet. Compoſitio ejus in hunc modum ſe habet.

Medicamentum διὰ λεπτοκαρύων

Lixivii piliarii unciæ ſex, avellanarum unciæ novem, aphronitri, ſaponis Gallici, ſingulorum unciæ quatuor: mellis unciæ tres, ovorum albumina ſex, olei veteris libra, ceræ unciæ decem, terebinthinæ unciæ ſeptem. Licet medicamentum multis utile efficere, ſi interdum vires ipſius remittas, interdum intendas. Moderatius namque erit, & corporibus mollioribus accommodatum, ſi medicamenti quod ex melle fit, partes duas adjicias, unam vero medicamenti jam dicti: item ſi emplaſtrum δι' ἀνεμώνης adjunxeris, ubi id quod ex melle conſtat deſideratur. Erit tibi etiam hoc pacto blandum, & citra roſionem efficax ad maximos tophorum affectus, varioſque corporum habitus, ut non multis & diverſis auxiliis indigeant. Quæ quum ita ſint, non opus eſt multorum medicaminum hic meminiſſe.

Novi autem ego, me emplaſtrum ex ceruſſa factum medicamento adjeciſſe, eo quod æger ipſius roſionem minime ferre poſſet, ac mihi opus pulchre ſucceſſit: nam utriſque æger oblectabatur, tum lenitate tum efficacia medicamenti. Siquis igitur ita conſiderare velit, licet ei tuto & citra noxam, ipſum, prout corpora ſenſilia ſunt, & pro diverſis habitibus vitiiſque admovere.

Ipſe vero diviniſſimus GALENUS meminit, etiam ſe tophos veteri caſeo diſſolviſſe. Habetur autem uſus hoc pacto: uſus ſum in articulario tophos in ipſis articulis habente, caſeo antiquiſſimo acerrimoque, in ſuillæ carnis ſalſæ decoc-

tum intincto: ac in pila ſubactum tophis impoſui, & valde profuit. Nam cute ultro citra ſectionem dirupta, partes prompte & citra noxam quotidie tophis liberavit, refecitque.

De antidotis anodynis, id eſt, quæ ſomno dolorem levant, & medicamentis purgantibus.

Quoniam vero nonnulli, ſive ob maximam rerum neceſſitatem, ſive quod dolorem ferre nequeant, omnino requirunt, ut medicamentum aliquod ipſis dolori levando idoneum exhibeamus, commodum erit etiam de his tractare, quando & quomodo ipſis utendum ſit: item antidota ab ipſis expoſita, quot ſimplicia, quotque compoſita exſiſtant. Cerata igitur extrinſecus ex opio parata, quæ veteres etiam a dignitate χιλιοχρύσους vocare dignantur. Verum ego, etſi vim mitigatoriam habent, non ipſis adeo uti conſulo, niſi magna admodum urgeat neceſſitas, & calida valde intemperies.

Bibunt autem nonnulli etiam id, quod vocatur διὰ ἑρμοδακτύλου, ajuntque doloris levationem inde fieri, dum ex ventre quædam aquoſa evacuat, ut etiam ægri ſtatim inambulare velint. Atque hoc eſt verum, raroque id quod titulo promittit, non evenit: ſed habet etiam aliquid quod offendat, quoniam efficit, ut ii qui bibunt, crebrius fluxione irritentur. Hoc igitur ne fiat, nonnulli admiſcuerunt cuminum, maſtichen, gingiber: alii vero etiam euphorbium, arbitrati illud refrigeratorium quippiam & torporis inducendi efficax obtinere. Alii non adeo verum hoc eſſe dictitant; non enim ita purgare poſſet, ſi tantam refrigerandi facultatem haberet, ut torpo-

rem queat inducere. Sed falſum eſſe arbitror; omnes enim qui biberunt, eo die ſtomachum cibis, qui offeruntur, non oblectari queruntur. Idonea igitur ſunt, quæ ex cumino, gingibere & pipere participant, & malitiæ ipſius, quæ ſtomachum offendit, reſiſtunt: ſed nullum adeò ut aloe ipſi adjecta opitulari poteſt. Ego hujus compoſitionem & eorum, quæ veteres invenerunt, vobis exponam: ne ignoremus nos, neque ab aliis ea diſcere cogamur, ſed is qui velit pro arbitrio uti, hinc queat facile colligere.

Deſcriptio purgantis medicamenti δι' ἑρμοδακτύλου ſimpliciſſima.

Hermodactyli drachma, gingiberis ſiliquæ novem, piperis ſiliquæ duæ, aniſi totidem; hæc omnia una vice dantur. Sin autem ventrem copioſius ſubducere cogitas, ſcammoniæ quatuor ſiliquas admiſceto: & citra moleſtiam purgat, ægroſque dolore levat.

Aliud δι' ἑρμοδακτύλου.

Hermodactyli unciæ tres, cumini ſcrupuli tredecim, gingiberis ſcrupuli duodecim, piperis ſcrupuli decem. Dantur ſcrupuli quatuor.

Aliud ad idem.

Hermodactyli ſcrupuli quatuor, gingiberis ſcrupuli ſex, cumini ſiliquæ quatuor, piperis ſiliquæ quatuor, aniſi ſiliquæ quatuor, lacrymæ ſcammonii ſiliquæ octo. Dantur ſcrupuli quatuor ex mulſa. Hoc medicamentum efficit, ut ægri ſta-

tim incedant. Satius autem eſt ipſis dare morbo incipiente, vel declinante.

Aliud valde bonum, experientia a nobis probatum.

Aniſi, cumini, ſingulorum ſcrupuli 12. piperis albi & nigri, ſingulorum ſcrupuli duo, gingiberis ſcrupuli quatuor, euphorbii ſcrupuli quatuor, maſtiches ſcrupuli ſex, caſiæ ſcrupulus, hermodactyli ſiliquæ quatuor. Hæc omnia una vice ex aqua temperata dantur.

Aliud quod Jacobus Psychrestus *exhibebat.*

Hermodactyli ſcrupuli quatuor, ſcammonii ſcrupuli duo: dato potui ex aqua tepida, ubi ægrum victu prius commodo præparaveris.

Egregium antidotum quod Theodotius *philoſophus exhibebat.*

Hermodactyli ſiliquæ quatuor, cumini Æthiopici ſcrupuli quatuor, aniſi ſcrupuli tres, ſii herbæ ſcrupuli ſex, agarici ſcrupuli tres, muſci ſiliqua, phu ſcrupuli tres, maſtiches ſcrupuli duo, gingiberis ſcrupuli tres, ſpicæ nardi ſcrupuli duo, cnici ſcrupuli ſex. Dantur ſcrupuli quatuor cum hydromelite. Præſtantiſſimum eſt hoc medicamentum, ac plurimum a multis aliis medicis comprobatum. Oportet autem etiam ægrum victu prius præparare, atque ita duo vel tria ovorum lutea, panis exiguum, & gallinæ pectus exhibere: deinde hora una interpoſita, aut multum duabus, ad balneum ducere: ac loto reverſoque domum, ita antidotum ut prædictum

eſt, debito pondere propinare. Hæc ratio victus in omni medicamento exhibendo utilis experientia apparuit. Neque enim hoc pacto medicamentum ſtomachum attingit, ſed etiam ventrem longe facilius poteſt ſubducere. Tantum in hermodactylo nos experti ſumus, ac medicos noſtri temporis exhibere ſpectavimus; atque ego longo tempore his uſus ſum. Poſtea autem aloen ei admiſceri utiliter, ſum expertus, ac tentavi trochiſcos potius fingere, quam potionem offerre. Etenim præterquam quod ægris dolorem auferunt, etiam prohibent, ne crebris ipſi fluxionibus afficiantur. Deſcribuntur ipſa in hunc modum.

Catapotia ex hermodactylo & aloe.

Aloes ſcrupuli duo, ſcammonii ſcrupuli quatuor, cucumeris agreſtis ſeminis ſemuncia, hermodactyli ſemuncia. Dantur ſcrupuli quinque aut ſex, pro viribus.

Aliud eadem efficiens, tum in articulariis, tum habitu pituitoſioribus.

Aloes, colocynthidis, ſcammonii, ſingulorum ſemuncia: hermodactyli uncia, cum ſcrupuli quinque aut ſex: catapotia fingens, pro virium ratione dato. Quum autem emollientia alvum catapotia efficere voles, hoc pacto componito.

Catapotia emollientia.

Aloes ſiliquæ quinque, lacrymæ ſcammonii ſiliquæ ſeptem, hermodactyli ſiliquæ tres, cucumeris agreſtis ſeminis ſiliquæ tres. Omnia trita

excipito roſato, aut rhodomelo: fictaque catapotia dato, non modo podagricis, ſed etiam aliis quorum alvum cogitas ſubducere. Omnia enim nihil adferunt moleſtiæ, nihilque ingratum ac inſuave, quum devorantur, obtinent. Sciendum autem, non ſolum potionem ex hermodactylo ad podagrici doloris levationem parari, ſed etiam alia eſſe pleraque, ex quorum numero antidotum ex coronopodio quoque habetur; quod & ipſum meo judicio non ita ut hermodactylus ſtomachum offendit: mitigat autem ſimiliter, ſi non amplius, certe non minus. Datur quaternis ſcrupulis, interdum quidem per ſe, interdum vero cum piperis granis quadraginta. Multi ſane in hunc modum compoſuerunt: alii vero etiam pluribus adjectis utilius medicamentum reddiderunt. Deſcriptio ipſius ita ſe habet.

Antidotum διὰ κορωνοποδίου.

Gingiberis ſcrupuli duo: piperis ſcrupulus, agarici ſcrupuli tres, cnici partis interioris ſcrupuli quatuor, coronopodii radicis ſcrupuli ſex. Contuſa incretaque reponito. At ſciendum eſt drachmam ejus exhiberi: iis autem, qui difficilius purgantur, ſiliquas viginti tres, vel amplius, vel minus. Subducit alvum omnino ſepties, vel ſæpius. Poſt evacuationem ægrum in balneum deduces: à balneo nutries ovis & pane. Hoc quoque ſcire oportet, medicamentum iſtud etiam in magnis acceſſionibus datum, dolores mitigare.

Alia potio.

Hæc, ſtatim ut accepta eſt, in ipſa acceſſione

ægrum dolore levat. Paratur hoc pacto: eryſimi ſeminis ſcrupuli quatuor, gingiberis ſcrupuli ſex, coronopodii radicis, amomi, piperis, ſingulorum ſcrupuli ſex. Redigantur omnia in pulverem, qui ad ſummum ſcrupulis ſex exhibeatur ægro, pridie concoctione bene obita, vel ex roſato, vel ex poſca. Nihil minus ſolet dolores lenire etiam medicamentum ex myuro herba, præterquam quod ſtomachum non vitiat, aut articulos offendit. Deſcribitur autem hoc pacto.

Medicamentum ex myuro herba.

Sii herbæ, agarici, myuri herbæ, ſingulæ unciæ. Dentur ſcrupuli quatuor: miſceatur potioni una vice dandæ ſcrupulus euphorbii, ac exhibeatur cum mulſo aut chryſattico generoſo.

Aliud generoſum, probatum.

Aniſi, propoleos, ſingulorum ſiliquæ duæ: gingiberis ſcrupuli quatuor, euphorbii totidem, maſtiches ſcrupuli ſex, caſiæ ſcrupulus, hermodactyli ſiliquæ quatuor. Hæc omnia potui dato una vice ex tepida.

Aliud quemadmodum Jacobus PSYCHRESTUS.

Hermodactyli ſcrupulus, lacrymæ ſcammonii ſcrupulus. Ægro prius humidiore victu nutrito datur ex tepida.

Antidotum podagricum quod vocatur climax.

Agarici uncia, phu unciæ duæ, petroſelini un-

ciæ tres, mei unciæ quatuor, hyperici unciæ quinque, gentianæ unciæ ſex, ariſtolochiæ unciæ ſeptem, centaurii unciæ octo, chamædryos unciæ novem, mellis quod ſatis eſt. Datur hoc ad annum.

Aliud antidotum quod eodem modo podagricis ad annum datur.

Podagricum, medens pedum, articulorum, capitis, ſtomachi, oculorum, jecoris, lienis & renum dolori. Curat etiam difficultatem urinæ, & callos in articulis concretos ſumme diſcutit.

Eſt autem medicamenti temperatura hæc. Rhei Pontici uncia, agarici unciæ duæ, phu unciæ tres, petroſelini Macedonici unciæ quatuor, mei unciæ totidem, hyperici unciæ ſex, gentianæ unciæ ſex, ariſtolochiæ unciæ ſeptem, centaurei unciæ octo, chamædryos unciæ novem. Dantur viris ſcrupuli duo, mulieribus unus. Parato autem in hunc modum. Hæc in pilam conjecta, contuſaque ſingula privatim, miſceto omnia, & rurſus pilæ indita contundito, atque ita probe incernito, ac utito, ut a nobis per ſingulos menſes ordinatum eſt: menſe Januario dato diebus quinque, alternatim: Februario diebus quinque, alternatim: Martio diebus quinque, alternatim: Aprili diebus quinque, alternatim: Maio diebus tribus alternatim: Junio duobus diebus, alternatim: Julio uno die: Auguſto uno die: Septembri uno die: Octobri duobus diebus alternis: Novembri duobus diebus alternis: Decembri quatuor diebus alternis. Atque ſic per menſes duodecim, dies trigintaſex anno vertente abſolvito. At abſtinendum eſt mero, carne ſuilla, bubula, le-

porina, item braſſica, ſinapi, & crudis omnigenis oleribus, hydrogaro. Bene autem concoquat æger, qui medicamentum aſſumet, pedes aqua calida lavet, & oleo inungat: lactis potione quam tempus exhibet abſtineat.

De mitigatoriis medicamentis quæ locis affectis admoventur.

Hæc igitur ſi per os exhibeantur, dolores mitigare ſolent: eorum vero gratia, qui non tolerant, ſive quod ſtomachus ſit affectus, & ea quæ exhibentur continere nequeat; ſed protinus in vomitum erumpat, ſive propter metum, & alterius medicinæ ſuſpicionem aliquam, exponenda cenſuimus, quæ & ratione & experientia utilia nobis eſſe demonſtrata ſunt. Habent autem ſe in hunc modum.

Ceratum quod in acceſſionum ſtatu imponitur, dolore liberans.

Croci, lacrymæ papaveris, ſingulorum unciæ quatuor: panis, ceræ, ſingulorum libra, olei ſextarius. Crocum & lacrymam vino macerato, panem vero aqua: ac ubi expreſſeris, diligenter miſceto lacrymæ & croco prius lævigatis: deinde ceram cum oleo liquefactam reliquis miſceto.

Aliud ceratum quod ſimiliter in ſtatu applicari poteſt.

Ceræ unciæ quatuor, argenti ſpumæ unciæ duæ, ceruſſæ tantumdem, roſacei, ſolani ſucci, ſingulæ libræ: ſucco, quouſque ſoluta fuerint, excipito.

Aliud ceratum, & ipſum mitigatorium, ad omnem inflammationem fervidam efficax.

Opii drachmæ quatuor, cerati roſacei libra: lacte muliebri opium terito, atque ita ceratum in pila miſceto, ac utitor ut longe optimo.

Ceratum mirabile & uſu probatum, de quo etiam alii multi teſtati ſunt.

Olei veteris ſextarios duos in cacabo lignis fermentaceis coquito, donec vehementer ebulliant: & turpænæ marinæ vivæ libram unam adjicito, coquitoque donec olei prædicti modus iterum aut tertio efferveſcat, deinde talpæ animalis (quod nonnulli calamitem vocant) ſanguinis, uncias quatuor: ac cum turpæna incoquito, donec carnes ab ea reſolutæ fuerint: & ſublata deinde ab igne refrigerato, percolatoque, ac vitreo vaſe repoſito; quum uſus poſtulat, olei quod ſufficit, paululum miſceto: ac ubi diſſolveris, ceratum molliſſimum facito, ac in linteolum illitum imponito. Coquito autem oleum, ut præſcriptum eſt, in domo ſubterranea, menſis Martii die quinto, nequaquam diem differens: ita namque bene ſuccedet. Tantum de epiplaſmatis dolorem tollentibus & mitigatoriis diximus.

Halatia ad concoquendum.

Salis communis libra, piperis unciæ tres, gingiberis unciæ duæ: origani unciæ duæ, hyſſopi ſeſcuncia, thymi ſeſcuncia, ſeminis apii ſeſcuncia, phylli, erucæ ſeminis, laſeris, ſpicæ nardi,

petroſelini, ſingulorum ſeſcuncia: fœniculi uncia, ſalis ammoniaci libræ duæ: in pulverem redigito, ac utitor.

ALIUD. Fœniculi, hyſſopi, petroſelini, caſiæ, liguſtici, rhei Pontici, myrrhæ, laſeris, ſingulæ unciæ: piperis unciæ duæ, ſalis ammoniaci ſextarius.

Aliud BUPHATI.

Piperis unciæ tres, gingiberis uncia, laſeris ſemuncia, aniſi uncia, coſti uncia, ſalis communis libræ duæ, panis quod ſatis eſt.

ALIUD. Salis communis libra, ſalis ammoniaci libræ duæ: piperis albi unciæ tres, piperis nigri tantumdem: gingiberis unciæ duæ: cnici uncia, ammeos ſeſcuncia, laſeris unciæ duæ, folii (phylli) unciæ duæ, aniſi ſeſcuncia, origani unciæ duæ ſemis, hyſſopi uncia, thymi uncia & ſemis, petroſelini ſeminis ſimiliter, erucæ ſimiliter, piperis longi unciæ ſex, ſpicæ nardi unciæ duæ, cumini, ſeſeleos ſingulæ unciæ.

Naturalia diverſa ad pedum fluxionem.

Quoniam nonnulli, quum neque in victu perſeverare, neque medicinam tolerare poſſunt, cogunt nos in podagra uti naturalibus & iis quæ alligantur, ut optimus medicus omni ex parte inſtructus ſit, & multifariam ægris omnibus opituletur, huc deſcendi. Quum autem multa ſint, quæ id præſtare queant, uſu tantum longo probata ſcribimus.

Medica-

Medicamentum naturale ad fiſtulam pedum, admodum celebre, & a multis comprobatum.

Nervos onagri & apri & ciconiæ ſumito, ac plicatis inde chordis, dextros quidem nervos dextris ægrorum pedibus, ſiniſtros autem ſiniſtris alligato, ac ſtatim dolorem levabis. Ubi autem dolor conquieverit, non amplius alligabis, ſed ubi rurſus dolorem ſenſerit: ac miraberis, quod neque dolor, neque aliud quid periculoſum ſubſequatur: quemadmodum multos attonitos fieri conſpicimus ubi pedes fluxionibus tentari deſierint. Nonnulli vero ciconiæ nervos aliis non complicant, verum retinent, mittuntque in phocæ pellem, ac illigant chordis ſeorſim abſque nervis ciconiæ plicatis; pedibus ægri ſimiliter illigant, dextros dextris, ſiniſtros ſiniſtris, quum luna eſt in occaſu, vel in ſigno ſterili, & Saturnum ingreditur.

Medicamentum præſervans a podagra & morbo articulario.

Torpedinem vivam cum oleo & aqua in vas æneum & cacabum conjicito, ne oleum uſtum ſtrepitum edat, ac herbam narciſſum luna deſinente collectam adjungito, ipſamque cum animali incoquens, uſquedum tota diſſolvatur, & oſſa nudentur, tunc tandem oleum ab aqua paulatim ſeparabis. Omnia facito luna deſinente, ungitoque ægrum ter de die: & ſi quidem articuli dolent patiunturque, curantur: ſi vero non dolent, præſervat eos ne unquam doleant. Id autem facito, ungitoque ad dies tres, luna omnino deſinente; nam ſi in alio tempore hæc facias, non ſuccedet.

Aliud probatum.

Puellæ virginis primis menſtruis inquinatum panniculum illinito, ac ubi ſic aliquando feceris, podagra non laborabis.

Aliud quod pedes & manus præſervat.

Nervos vulturis ex cruribus ac ſummis pedibus collectos, ad talos ægri alligato, curans ut nervos dextri pedis vulturis dextro ægri pedi alliges, & ſiniſtros ſiniſtro. Similiter etiam cubitorum, manuum, & humerorum nervos, alaſque. ALIUD. Leporis tali ſi alligentur, articularios affectus admodum alleviant: oportet autem leporem vivum relinquere. Melius facit etiam cutis vituli marini, ſi pedibus ſubſternatur. Quin & verſum Homericum,

Τετρήχει δ' ἀγορή, ὑπὸ δὲ ἐστοναχίζετο γαῖα.

Id eſt,

Concio turbata eſt, ſubter quoque terra ſonabat.

Si in aurea lamina ipſum ſcribas, quum luna eſt in Libra: præſtat autem multo, ſi in Leone inveniatur. Item magnes lapis geſtatus articulariorum dolores curat: ſimiliter etiam aetites ſi geſtetur; præterea cotyledonis radix. Item ſanguis hirundinis illitus podagricos dolores mirifice lenit.

Ad podagram.

Ubi initio videris pedes inflammari, allium lævigatum quotidie ipſis inducito, non ſolvens donec fuerint exulcerati: deinde urinæ pueri im-

pubis, quam calculis marinis candentibus incenderis, omnia injicito, & utitor: poſtea ſi abſinthio pedes obducas, adeo efficax eſt, ut non amplius podagra infeſtet.

Remedium a podagra præſervans.

In laminam auream, luna deſinente, quæ ſequuntur inſcribito, & nervis gruis involvito: deinde ſimili canaliculo ipſam includito, geſtatoque ad talos; meu, treu, mor, phor, teux, za, zon, phe, lou, chri, ge, ze, on. Quemadmodum ſol in hiſce nominibus firmatur, & quotidie renovatur, ita hoc figmentum confirmatur, quemadmodum prius, jam, jam, cito, cito; ecce enim magnum nomen dico, in quo conquieſcentia firmantur. Jaz, azyph, zyon, threux, bayn, choog. Firmate hoc figmentum ut erat primum, jam, jam, cito, cito.

Ad podagram quæ nondum contraxit nodos, admirabile & probatum.

Chamæleontis caput & pedes ipſius, extimaque pedum vel genuum præcidito, & quæ ex dextro pede habentur, ſeorſim ſervato: & rurſus a ſiniſtro pede, extrema ſimiliter præcidito, ſervatoque & ipſa privatim: ac ubi duos digitos dextræ manus, pollicem & annularem, impreſſeris ungue chamæleontis, ſimiliter & ſiniſtræ manus ſecundum digitum notaveris ungue chamæleontis, inquinans ſanguine digitorum dextræ manus extrema dextra chamæleontis, ſiniſtræ autem manus ſanguine, ſiniſtra animantis extrema: in exiguum canalem includito, ac geſ-

tato, dextra quidem animantis extrema dextro pede, ſiniſtra autem ſiniſtro, uſque dum æger curatus fuerit. At chamæleontem præciſis extremitatibus adhuc viventem panniculo lineo puro involutum attingito ad ſolis exortum. Sin autem contingat manus quoque prædicto affectu cruciari, attingito etiam manus, ac in exiguos canales indito, curabiſque ipſas: facito autem hoc luna deſinente.

Podagricum naturale.

Cornubus ovillis crematis, & ex vino in pila detritis, dextro cornu dextrum pedem inungito, & ſiniſtro ſiniſtrum: & dolores podagricos mitigabis.

Aliud ad podagram & omnem fluxionem.

Herbam *ſacram*, quæ eſt altercum, quum luna eſt in Aquario aut Piſcibus, effodito ante ſolis occaſum, radicem non attingens: ubi effoderis ipſam duobus ſiniſtræ manus digitis, pollice & medico, dicas, loquor tibi, loquor tibi herba ſacra: cras voco te in domum Philiæ, ut ſiſtas fluxionem pedum & manuum hujus viri vel hujus mulieris. Sed adjuro te per nomen magnum Iaoth, Sabaoth: Deus qui terram firmavit, & fixit mare fluviis abundans fluentibus, qui exſiccavit uxorem Loth, & fecit eam ſtatuam ſalinariam, accipito ſpiritum matris tuæ terræ, & vires ejus, & ſiccato fluxionem pedum aut manuum hujus viri, aut mulieris. Craſtino die, ante exortum ſolis, accepto oſſe cujuſcumque animantis mortui, effodito radicem, & accepta

ipſa dicito, Adjuro te per ſancta nomina, Jaoth, Sabaoth, Adonai, Eloi: ac in ipſam radicem ſalis pugillum conjicito, inquiens, ut ſales hi non augebuntur, ſic neque affectus hujus viri aut hujus mulieris. Item extremam radicis partem ægro alligato, cavens ne madeſcat, reliquum vero ſuſpendito ſuper cruſtam diebus tercentum ſexaginta. Quum jam de convenientibus podagricis auxiliis, curandi ratione, & uſus illorum modo, præterea de naturalibus, quæ experimentis probavimus præſcripſerimus, finem libro feliciter imponemus.

Auxilium podagricum valde bonum.

Myrrhæ ſiccæ ſextula, hermodactyli ſextulæ duæ; trita incretaque potui ex vino veteri in balneo exhibeto.

ALEXANDRI TRALLIANI

DE ARTE MEDICA

LIBER DUODECIMUS.

JOHAN. GUINTERIO ANDERNACO INTERPRETE.

CAPUT PRIMUM.

DE FEBRIBUS.

QUUM poſtulaveris a me, chariſſime COSMA, ut curationes quas in diverſis morbis frequenter ſum expertus, tibi exponerem, non gravate obtemperavi: ut qui fatear jure me gratiam utriſque & tibi & patri tuo pro benevolentia, quam ſubinde mihi benigne præſtitiſtis, debere. Hic enim protinus ab initio non in artis modo operibus, ſed etiam in univerſis vitæ negotiis commodus mihi fuit adminiſter: ut vero, quum apud barbaros degeres, neutiquam me propter caſus eventuſque rerum, quæ nos urſerunt, negligendum cenſuiſti. Quare etiam ſenex in poſterum vobis morem gero: & quum non amplius laborem ferre poſſim, librum hunc conſcribendum, & experimenta, quæ longo uſu atque exercitatione in hominum morbis a me ſunt comperta, in commentarium redigenda putavi.

Oblectabit autem non pauciſſimos, qui hæc citra invidiam inſpicere voluerint, accurata iſta docendi ratio, brevitaſque ſimul & perſpicuitas dictionis. Studui enim (quantum licuit) verbis uti communibus, magiſque perſpicuis, ut etiam vulgaribus liber eſſet dictione ipſa facilis & explicatus. Exordium itaque a diariis febribus ſumemus, diviniſſimi GALENI doctrinam pro viribus hic quoque imitantes. Quod ſane febris eſſentia ſubſtantiaque, & natura nihil aliud ſit quam tum cordis tum arteriarum calor naturali contrarius, a præſtantiſſimis medicorum, GALENO potiſſimum & HIPPOCRATE, eſt demonſtratum. Quare huc ERASISTRATI opinionem adducere, ASCLEPIADIS, & aliorum medicorum chorum, ſupervacaneum exiſtimavi.

Quod autem rationi conſentit, febrim a corde potius quam ab alia corporis noſtri parte proficiſci, multis licet argumentis colligere. Siquidem febris nativi caloris eſt mutatio: nativus autem calor in corde exſiſtit; conſtat etiam febrim in corde ſedem habere. At quoniam febris eſt non ſolus abſolute calor naturali contrarius, ſed in materia quadam ſubſiſtit, materia vero triplex genere in nobis habetur, manifeſtum eſt quod febris quoque in tribus conſiſtere materiis cognoſcetur: in ſpiritu nempe, humoribus, & ſolidis partibus. Si igitur ſpiritus immutatus fuerit, febrim parit ex illo provenientem, *quam Græci* ἐφημερινὸν, *nos diariam* appellamus: ſin autem humores: eam quæ putredini fertur accepta: ſi vero partes ſolidæ, hecticam efficiunt. Dicamus itaque de unaquaque, quid ſit, & quomodo ſpecies ejus dignoſci optimeque poſſit

curari. Exponamus autem primum diariam, utpote omnium ſimpliciſſimam, quæque ſimul univerſis magna ex parte hominibus ſupervenire conſueverit.

Diariarum notæ.

Febres diariæ, quum ex ſpiritibus habeant originem, nihil ſtabile neque firmum continent, ſed uti celeriter generantur, ita etiam ſolvuntur: unde & diariæ vocatæ ſunt, ad unum uſque diem aut paulo diutius interdum durantes. Notari vero ipſæ hoc pacto debent, ex tactu, urinis, & præterea etiam pulſibus. Ex tactu enim caloris copia nobis innoteſcit, quum is ſola quantitate increverit, ut ſpectare licet etiam calorem, qui in balneo excitatur. Ex urinis autem, quoniam his per initia morbi manifeſtas concoctionis notas repræſentant, quod in nulla aliarum febrium ineſſe ſolet. Ac pulſus harum celerem arteriæ & elevatam diaſtolen, tardiorem vero ſyſtolen obtinent. Nam refrigerium magis, quam recrementorum expurgationem requirunt. Jam ejuſmodi febres ſtatum quoque habent æquabiliorem, & declinationem, quæ in purum intervallum perfectamque integritatem deſinat. Habentur autem aliæ quoque notæ febrium, quæ ob ſpiritus conſtituuntur: verum hæc quoque abunde ſpeciem febris declarare vobis, & aliis a febribus poſſunt ſecernere.

Diariarum curatio.

Diariæ febres, quum communem habeant generationem, quantum ad ipſas attinet, communem quoque curationem recipiunt. At quoniam

non una earum cauſa, ſed plures & variæ eſſe ſolent, de his dicendum arbitror. Etenim laſſitudo, frigus, repletio, inedia, vigiliæ, ciborum in ventre corruptio, ulcera, & omnes (ut ita dicam) antecedentes cauſæ haſce febres producunt. Quandoquidem igitur non una febris diariæ efficiens cauſa exſiſtit, ſed plures, convenit etiam, ut nos non paucas quaſdam curationes, ſed complures unicuique ſpeciei convenientes exponamus.

De iis qui ex laſſitudine febricitant.

Qui ob laſſitudinem febricitarunt, plerumque medicos non exſpectant, ſed ſtatim ubi febrim declinaſſe ſenſerint, ad balneum proficiſcuntur, tamquam a natura quadam edocti optimum præcipuumque remedium eſſe defatigatis lavacrum. Hoc autem plerique etiam medicorum inconſiderate faciunt, & nulla ratione habita ad lavacra tranſmittunt: unde interim non paucos inſigniter offendunt. Si namque corpus recrementis vacuum, neque plethoricum, aut vitioſis obnoxium ſuccis inventum fuerit, maxime juvantur, nec alterius indigent curationis. Quibus autem corpus omnibus ex æquo ſuccis ſcatet (*plethoricum* appellant) & vitioſis infeſtatur, (quod *cacochymum* dicitur) putredinique eſt opportunum, ut hinc non modo ſpiritus, ſed humores quoque antea incaluerint, viceverſa plurimum offenduntur, & in febres putridas prompte incidunt, præſertim ſi victu uſi ſint minus curioſo. Ne igitur idem nobis, quod illis accidat, primum notas earum perſequi oportet. Nonnullæ igitur earum ſunt exquiſitæ; nonnullæ vero, non

exquiſitæ quum ſint, in putridas prolabuntur. Sic enim nunc & lavare & nutrire probe, nunc contra non lavare, recte poterimus.

Curatio eorum qui ex laſſitudine febricitant.

Quoniam ex laſſitudine febricitantes, diligenter plane humectandi ſunt & refrigerandi, fiet id commode balneis temperatis, victu & unctionibus, quæ nullam diſcutiendi vim obtinent; nam in his omnia facere oportet, quæ humiditatem potius augere, quam ex corpore auferre poſſunt. Quare neque corpus multum perfricare, neque tepida ex ſolo oleo unctione, ſed ex hydrelæo magis uti oportet. Quippe id liberalius, quam ipſum oleum, per ſe humectat, & penitius in corpus ab aqua tranſmittitur: refrigeratque articulos excalefactos, & fervidos ex nimio labore effectos. Quocirca neque ungere in aere calido neque perfricare convenit: ſudoribus enim manantibus ne humectare quidem prorſus unctio poterit, ut quæ cum eis a corpore decidat. Præſtat autem (meo judicio) multa tepida ſudorem eluere, & ægrotantem in exteriorem domum egreſſum ſtrigili abſtergere, atque ita hydrelæo perungere: deinde exiguo ſpatio interpoſito intrare ipſum, & in calentis aquæ ſolium deſcendere, ita ut neque integram omnino horam in aere perſeveret, ſed tantum tranſire videatur. Sic enim humectabitur, & metuendum non erit, ne peruſtus incenſuſque ab aere, aliam rurſus febrim acquirat. Hæc ſane medendi ratio omnibus ex laſſitudine febricitantibus conducit, præſertim iis qui calidiore ſunt temperamento. Ignoro igitur, cur diviniſſimus GALENUS

oleo quidem tepido dumtaxat uſus fuerit, aquam vero ei miſcere vitarit; licet enim & frigidam ei aquam, præterea etiam tepidam admiſcere. In ſumma, ut cujuſque temperamentum eſt, caloriſque & ſiccitatis ex laſſitudine ortæ exceſſus; ita quoque unctione utendum erit. Quod ſi vero iterum rurſus lavare ægros volueris, eodemque modo perungere, & in calidæ ſolium demittere, & in eo aliquamdiu immorari, valde quidem ipſos hac ratione juvabis, ut reverſi a balneo, laſſitudinis omniſque intemperiei prorſus obliviſcantur. Atque hac ratione etiam in iis utendum erit, qui ex vigiliis febricitarunt, item qui ex mœrore, & in illis, qui ex morbo ſe recolligunt. Reſtat nunc, ut de his ſermonem inſtituamus, quibus cruditas ſuperveniens febrim diariam excitavit.

De iis qui ex cruditate febricitant.

Cruditas ex caliditate, magis autem ex frigida intemperie generatur. Notatur facile ex ructu, nidoroſo quidem in iis, quibus caliditas cruditatem induxit: acido vero, quibus frigiditas illam peperit. At non ſolum ructus, ſed etiam aliæ omnes notæ attendendæ ſunt, ætas, inquam, temperamentum, ſtudia vitæ, & reliqua totius victus ratio. Neque enim ſi ructus eſt nidoroſus, calidam jam quoque cruditatem eſſe prorſus ſuſpicabimur. Interdum enim ex ingeſtorum etiam qualitate fuit excitata, vel quum ægri ipſi nidoroſum aut melleum quid in cibo antea aſſumpſerint. Quin nec acidus ructus omnino ſuſpicionem nobis præbet, ut frigidam intemperiem dicamus: quippe etiam acidus cibus & acerbus

frequenter effecit, ut ructus acidus appareret, interim vero caliditas quoque; nam acidus ructus non ſolum ex frigiditate, ſed ex calida etiam intemperie generatur: fierique non poteſt ut ejuſmodi ceſſet ructus, niſi quis refrigerante victu uſus fuerit. Convenit igitur cruditates ex omnibus jam commemoratis internoſcere, atque ubi ſic diſcretæ fuerint, firmam earum curationem aggredi.

De ciborum corruptione ex caliditate & nidoroſo ructu proveniente.

Qui ſane ex caliditate ciborum corruptionem, nidoroſamque cruditatem ſuſtinuerunt, eaque de cauſa in febrim diariam inciderunt, iis calefacientes cibi aut potus non debent adhiberi. Etſi enim exiguo tempore mitigari lenirique videbuntur, flatibus qui infeſtabant diſſipatis, poſtea tamen occaſionem præbent, ut febris diaria magis incendatur: interim vero ut etiam febris, quæ ex humorum putredine oriri ſolet, rurſus ſubſequatur. Ne igitur hæc eveniant, congrua victus ratio præſcribenda, & curatio quæ e contrario repugnet, adhibenda eſt. Quippe fieri nequit, ut affectus qui infeſtat, ex toto conquieſcat, & veluti radicitus exſcindatur, ubi cauſa, quæ ipſum efficiebat, prius non fuerit ſublata.

Quare ſi tibi cibus, qui ad nidoroſam cruditatem inclinaverit, ſuſpendi adhuc in ventriculo videatur, tunc potioni aqua calida potiſſimum eſt ſumenda. Hæc namque partem humorum eluere, abſtergere, & ad inferiorem ventrem propellere, partem vero ut in corpus etiam diſtribuatur præparare, & præterea ſpiritum jam ſiccum incenſumque temperare & lenire, meatuſ-

que laxiores efficere poteſt. Haud novi, an quis hoc præſtantius remedium, iis qui ex calida intemperie cruditate laborarunt, eoque in diariam febrim inciderunt, excogitare poſſit.

Quod ſi vero cibi corrupti non in ventriculo hærere tibi videantur, ſed per alvum egeri, rurſus hic non ſolum non impediri, ſed etiam adjuvari debet, quo ea quæ corrupta ſunt, per ventrem potius queant excerni: ſin autem immoderatius per alvum ferantur, rodantque inteſtinum, etiam hic ad balneum ægros ducere convenit, & ventris jecoriſque regionem potiſſimum vino melino perungere, & pane ex aqua calida nutrire; porro injiciatur in eam & apii & coriandri radix: verum apium non multum decoquatur, ſed protinus antequam ferveſcat auferatur; non ſemel autem eam in calidam, ſed ſæpius intingas.

Si vero caliditas aut inflammatio quæpiam ventriculum obſederit; neque radix apii, ſed coriandri tantum immitti debet: vel offa panis calidæ iterum aut tertio intincta, eſui per ſe exhibeatur.

At ſi venter copioſius profluxerit, ut deinceps vires debilitentur, etiam omphacomeli, aut hydromelum aut hydroroſatum dabitur.

Sin autem nulla inflammatio ventriculi os obſidere videatur, vini Cnidii aut Sabini, quod exiguam habeat adſtrictionem, momentum propinari ipſis debet.

Sin vires nullam noxam expertæ fuerint, cave ne vinum permittas, præcipue calidiore temperamento præditis. Si namque nidoroſa cruditas ex calore accederit, conſtat magis eam in calidioribus auctum iri, ſi vino uti voluerimus.

Ac mirari mihi ſubit, quomodo diviniſſimus

Galenus in opere de medendis morbis, calefacientibus remediis uſus fuerit. Nam antidotum, *quod a triplici pipere Græci* διὰ τριῶν πεπέρεων *appellant*, & illud quod ex malis cotoneis paratur, exhibere ipſis permittit: extrinſecus autem rurſus ventriculo purpuram nardino, abſinthio & maſtiche imbutam applicare. Atque hæc calida imponere jubet, ne ventriculi robur diſſolvatur. Ego vero ea neutiquam calidiore affectu preſſis convenire arbitror. Atque hæc nequaquam dico contradicendi ſtudio, ſed quod ita mihi veritas habere videatur, quam ſemper cuivis præponendam cenſeo. Si enim nidoroſus ructus & cruditas a caliditate provenerit, conveniebat (ut arbitror) contrariis hanc remediis moderate utentes, ita medicari. Sin autem a calidioribus pinguibuſque cibis orta fuerit, etiam ſic victus contrarius, qui modice refrigerare poſſit, injungi debebat. In ſumma, didicimus, omnia quæ naturam exceſſerunt, contrariis curari oportere, & rutaceum oleum, & ſi quæ alia eſt calida injectio, adhibere diſſuadeo: atque hoc cavendum eſt, in quibus corruptio & febris ex calida intemperie ſunt ſubſequutæ.

De iis qui ex cruditate febricitant, humore magis acido proveniente.

Hactenus de iis, qui ob nidoroſum ructum febricitarunt, egimus: nunc autem dicamus etiam de illis, qui ex frigida intemperie in cruditatem inciderunt.

Acida cruditas non adeo celeriter febrim ſolet accendere: ſi vero etiam febrim excitare contigerit, perpende & diſquire, num quandoque etiam

calida intemperies acidum ructum procrearit; fit enim interdum, ut is non ſolum ex frigore, ſed etiam caliditate frequenter oboriatur. Idem ſiquidem in externis quoque videmus. Accidit enim in calidis pariter & frigidis admodum domiciliis, ut vinum nonnunquam in acidum convertatur. Similiter autem in fermento quoque idem ſpectare licet; hoc etenim in calidioribus retentum domiciliis, in acorem mutatur: idem vero experitur, ubi a gelido aere fuerit refrigeratum. Quare unum idemque accidens a contrariis cauſis generatur. Attendere igitur oportet ſigna, tum præſentia, tum quæ præceſſerunt, ut ex omnibus poſſis cognoſcere, quæ tandem ſit cauſa, calidane an frigida, atque ita ad curationem venire. Quare ſi acidus ructus ex caliditate provenerit, refrigerantibus & potu & cibo uti convenit, præcipue iis qui reſiſtere poſſunt, & non facile corrumpi.

Quapropter neque cremor ptiſanæ, neque alicæ ipſis eſt exhibendus: facile enim corrumpuntur, & in ſtomacho ſupernatant ſuſpenduntурque: unde etiam accidit, ut ipſi magis aceſcant. Itaque piſces, qui dura carne ſunt præditi, his expediunt, & gallinæ ex decocto aut ſimplici jure paratæ: adhæc iſicia ſimiliter dura, cujuſmodi ſunt, quæ ex buccino & glauco, orphoque piſce potiſſimum conficiuntur. Nec mireris, quod hæc dicam: qui namque ex calida intemperie acores experiuntur, eos, etiamſi pedem bubulum exhibeas, non offendes, imo juvabis quoque. Ego ſane novi quendam, quum longo tempore acorem experiretur, his me cibis perſanaſſe: præterea etiam oſtrea non cocta, & duracina exhibui,

omnique alimento quod refrigeraret; & ægre corrumperetur mutareturque; ſum uſus.

De acido ructu qui ex frigida intemperie naſcitur.

Quod ſi acidus ructus non a calidiore ſed a frigidiore intemperie originem traxerit, tunc potius victus calefaciens & antidota conveniunt, cujuſmodi ſunt tum quod ex malis cotoneis conficitur, quod *a triplici pipere*; *διὰ τριῶν πεπέρεων nominatur*: adhæc fomentum ex nardino. Quæ igitur diviniſſimus GALENUS in nidoroſo ructu fieri præcepit, ea ego omnia iis potius quam ex frigida intemperie cruditatem ſunt experti, convenire, & non aliter habere poſſe arbitror.

De febribus diariis quæ ex obſtructione generantur.

Febris diaria ex viſcoſis etiam craſſiſque humoribus naſcitur, dum nimirum excrementa propter meatus occluſos non perſpirant, fiuntque acriora. Advertere igitur animum hic & internoſcere oportet, ſolane copia ac craſſities ſola, & humorum lentor obſtructionem effecerit. Si enim copia pepererit, ante omnia ſane per ſanguinis miſſionem vacuatio tentanda eſt: deinde ſic particularibus utendum præſidiis, quæ laxare, diſcutere vel extenuare poſſunt. Nam ſi vacuatione omiſſa laxantibus quiſpiam aut diſcutientibus uti voluerit, malorum magnorum auctor erit; quippe obſtructionem multo adhuc majorem reddet, diſcutientibus ante concoctionem aut evacuationem uſus remediis. Quod ſi non copia, ſed viſcoſi craſſique humores obſtructionem procrearint, ſanguis mittendus non eſt, ſed decoctis potius quibuſdam

buſdam utendum quæ extenuare poſſunt, ita ut non calefaciant. Nec adhibenda iis, quæ vulgares medici temere audent, ſerpyllum, aut calaminthe, aut hyſſopus; aut origanum, aut ruta: ignari quod multo magis offendant, quam juvent ægros. Etſi enim materiam attenuare nonnihil videantur, alia tamen ratione offendunt, dum febres reddunt acriòres.

Quare illa potius quærere conabimur, quæ abſtergere & attenuare citra caliditatem novimus. Hoc autem in numero habetur oxymeli, quod & generoſe abſtergit & febres non exacuit. Atqui nec hoc in omnibus utile eſt, in quibus enim craſſa recrementa occaſionem morbi præbent, quæ & obſtructionem excitarint, & febrim accenderint diariam, a calore aut ſiccitate craſſitiem aut lentorem conſequuta (quemadmodum in rebus plus æquo coctis aut aſſatis nimium fieri cernimus), neque his oxymeli exhibendum eſt, neque in quibus ſiccius eſt temperamentum, aut mœrores quidam, aut laſſitudines, aut ira, aut ſollicitudo, aut vigiliæ præceſſerunt. Etſi enim talia non admodum calefaciant, tamen ſiccando, materiam adhuc magis craſſam faciunt, quam (ut arbitrantur) attenuant. Quæ enim a ſiccitate coacta fuerint, & craſſiora quam prius evaſerint, nunquam ejuſmodi ſiccans aliquod medicamentum attenuare poteſt. Ego ſiquidem in hujuſmodi temperamentis ſubinde ſpectavi quod, oxymeli cuipiam propinatum, pro eo quod urinas provocare debet, retentionem potius & obſtructionem materiæ pepererit, ut hinc etiam febres magis fuerint auctæ. Verum quum vulgares iſti cauſam ignorent, ad alia eam referunt.

Quapropter illis tantum exhiberi debet oxymeli,

in quibus cruda craſſaque & frigida recrementa hærent: adhæc qui pituitoſo & frigido ſunt temperamento: in quibus etiam cruditates, repletiones & otioſa potius vita præceſſerit. In his namque ipſis idoneum exſiſtit, & ſiquod viſcoſum inhæret & craſſum, a frigidis ſignis aut potionibus collectum. Ex omnibus autem aliis, quæ medici ipſis in balneo ad extergendam cutem, (ut ſaponem; mel & aphronitrum) præcipiunt, hæc magis attenuare, & meatus obſtructos liberare ſpoſſunt.

Verumtamen in calidoribus temperamentis non olum ab oxymelite, ſed aliis quoque decoctis, quæ ſiccare aut calefacere poſſunt, abſtinendum cenſeo: victu autem utendum humido magis & temperato, qui nihil ſiccum & acre in ſe habeat. Quare ptiſana & foris & intus eſt eis aptiſſima, ut quæ præterquam quod humectet, etiam abſterſorium nonnihil & attenuatorium obtineat. Admiſceatur autem ei apomelitis paululum; nam id quoque abſterſorium quippiam citra ullum calorem poſſidet. Jam piſces hiſce conveniunt: quippe alimentum inde proveniens, & probe concoquitur, & nequaquam meatibus inhæreſcit: adhæc gallinarum cohortalium alæ, & lactucarum caules, intybi, & troxima. Hac igitur victus ratione illi ſuſtentandi ſunt, in quibus recrementa terreſtria magis, & craſſiora quam fuerint, a calore facta cenſueris.

Sin autem nihil tale fuerit, pituitoſiora vero ea tibi appareant, quæ obſtructionem excitarint, tunc confidenti animo etiam decoctum apii, aniſi, adianti, & oxymeli non modo ſimplicius, ſed etiam compoſitum propinato. Nam in frigidioribus temperamentis, & in quibus materia pituito-

ſior eſt & humidior, in his id quod a diviniſſimo Galeno dicitur, veriſſimum exſiſtit, nempe quod oxymeli tum abſtergit generoſe, tum febres non exacuit: in naturis autem bilioſioribus & magis melancholicis, rariſſime exhibendum eſt.

Porro quod in viribus jam magis debilitatis nemo eo uti debeat, id quoque iis conſtare arbitror, qui Hippocratis ſcripta didicerunt, & experientia quoque perceperunt, quod vim etiam radendi inteſtina obtineat; multas ſiquidem noxas & commoditates continet. Ac diligenter is, qui velit aut oxymeli, aut herbarum dilutum, aut aliud quoddam inciſorium curationis gratia exhibere, tum facultatem ejus quod propinatur, tum quamtitatem, tum qualitatem, tum ordinem, tum ne temere & indiſtincte in omnibus utatur remediis, diligenter cognoſcere debet. Hoc enim ad præſtantiſſimum quemque medicum pertinet, ut omnia perquirat, curioſeque examinet, & præſidia conſiderate diſtincteque admoveat.

CAPUT II.

DE FEBRIBUS EX PUTREDINE CREATIS.

Quod omnes febres continentes ex materia, quæ eas incendit, intra vaſa ſubſiſtente & putreſcente generantur, omnibus in confeſſo eſt. Atque idcirco etiam continuationem habent, neque rigorem movent, qui in externam cutem feratur, ſenſibileſque partes rodat, ut in iis, quæ intermittunt, fieri ſolet: unde in continentibus ſi, inquit, rigor ſuperveniat, bonum eſt indicium.

Atque hoc in ardentibus, *quas καύσȣς Græci appellant*, etiam videre licet. Docuit autem nos id quoque diviniſſimus HIPPOCRATES, ubi ait: Si ei qui ardente febri laborat rigor ſuperveniat, morbi ſolutio exſpectanda eſt.

Porro ſunt nonnulli, qui etiam febres intermittentes intra vaſa conſiſtere, quemadmodum & continentes, arbitrentur, ac nihil prorſus loco, ſed quantitatis & qualitatis ratione differre. Etenim in continuis & multam & craſſam eſſe materiam exſtimare convenit, atque ideo neque extra vaſa emitti poſſe: intermittentium vero, tenuiorem, & ut in extimam cutem efferatur magis idoneam. Porro hujuſmodi, etiam intermittentibus accidere, & materiam extra vaſa putreſcere, urinæ quoque teſtantur: quippe materiam ipſam, quæ jamdudum computruerit, repræſentant. Atque hinc ſane integra morbi tempora conjectura deprehendimus, quando ſcilicet concoctionis initium morbus habet, quando incrementum & ſtatum.

Alii vero non de loco ſolum, in quo conſtituuntur, & generatione, quam febres habent, diſſentiunt, ſed etiam de materia ipſa, unde procreantur. Nonnulli etenim in univerſum febres ex bile incendi dixerunt, quum febris res quæpiam calida ſit & ſicca, talis autem bilis quoque exſiſtat, ad generandos hujuſmodi affectus accommodata.

Alii vero febrium non bilem, ſed pituitam, cauſantur, eo quod hæc rurſus ad putreſcendum obturandumque non parum eſt idonea, quum humida ſit & craſſa. Jam hoc quoque nobis indicat ipſum pituitæ vocabulum, *quod φλέγμα Græce dicitur, à verbo φλέγειν, quod eſt inflammare.* Nam phlegma, eo quod inflammet ipſum & calefaciat, dictum eſt. Atque hoc ſane palam eſt abſurdum.

Cæterum de humore melancholico nonnulli opinati ſunt, nunquam ipſum febrim poſſe incendere, eo quod frigidus ipſe ſit natura & ſiccus, nihilque habeat humidi aut calidi, unde putredines generentur. Nihil itaque mirum eſt, quoſdam putare melancholicum humorem neutiquam plane putredinem recipere.

Non deſunt & qui in univerſum febrim nunquam a putredine fieri pronuntiarint; nam humores in venis exardeſcere, non putrefieri, dictitant. Si namque hoc eſſet (inquiunt) cur tandem non etiam lumbrici, aut aliæ quædam beſtiæ in vaſis, ſi putrefactio eſt, gigni cernuntur, quemadmodum in ventre & aliis partibus? Quinetiam in externis omnibus hoc ſpectare licet, quod quæ putreſcunt, variarum rerum ſpecies generare ſolent, quarum nulla unquam per urinas excerni viſa eſt. Dicendum igitur eſt putreſcere & incendi, ut videre id licet in pice & bitumine, aut arundinibus, aut chartis, aliiſque multis fieri, quæ prompte ab igne afficiuntur, incenduntur-que. Sic igitur nonnulla, etiam ſcintillam modicam nacta, magnam & immenſam flammam excitarunt, ut non ſolum vicina, ſed etiam omnia longius ſita combuſſerint: tale quid etiam in nobis (inquiunt) accidit, incipit enim ſpiritus inflammari atque exardeſcere; non enim jam computreſcere ipſum quoque dicendum eſt, quia niſi ſpiritus humectantia & refrigerantia quæ ipſum contenperare & mitigare poſſint conſequatur, etiam vicina depaſcitur. Atque ex his ipſis ille nimirum primus eſt qui ad hoc magis idoneus inveniri poterit.

Non ſolum autem de putreſcente in vaſis materie (ut opinor) diſſentiunt, ſed etiam de pu-

trefactionis modo. Alii ſiquidem ipſam ex calido & humido, nimirum humiditate, fieri dixerunt, ad vetera & putrefacta ligna reſpicientes. Sic ſe enim res habere videtur, ac puto utroſque vera dicere, fierique nonnunquam etiam putredinem ex ſiccitate, magis autem ex aduſtione.

Nonnulli vero medicorum nullam prorſus in venis putredinem fieri, ſed magis in ventre exiſtimarunt. Ejus autem rei fidem faciunt tum ex vermibus, qui in eo generantur, tum ex recrementis, quæ & malum odorem & ad putredinem nihilominus inclinationem repræſentent. Indicant hoc quoque vomitus, (inquiunt), qui crebro tam perfecte febres deleverunt, ut æger non amplius malam acceſſionem ſit expertus. Jam alios rurſus a febri liberatos vidiſſe, ex una & ſola ſorbitione vel injectione clyſteris. Verum non ex his modo, ſed aliis quoque multis, accurate videre licet, quod venter etiam febrium ex putredine ortarum cauſa ſit. Forſan autem aliarum quoque fons & origo ipſe proprie exſiſtit.

Notæ febris ex putredine.

In primis ſane ſcire convenit febres, quæ ex putredine oriuntur, non ſolum ab externa cauſa, ſed etiam ex diariarum febrium degeneratione originem habere. Cognoſces autem febrium degenerationem ex tribus hiſce notis potiſſimum: prima ſane eſt, quod febris diaria, quæ præceſſit, non in purum deſinat intervallum: ſecunda, quod ſtatus non fiat ad tolerandum facilis: tertia, quod ſtatus non deſinat madore aut ſudore. Hæc ſunt indicia manifeſtiſſima quod febris diaria in putridam tranſierit.

At in qualem febris ſpeciem degeneratura ſit, hac ratione & conjectura colligere & internoſcere oportet. Si namque pallidus æger fuerit, vigiliis torqueatur, curis afficiatur, ætate floreat, ſcito bilem febrim tertianam totam excitaſſe: ſin autem albus & vita otioſus exſiſtat, quotidianam eſſe putato: quemadmodum etiam, ſi plumbei coloris, quartanam. Atque hæ ſane notæ ſunt febrium diariarum, quæ in putridas degenerarunt.

Cæterum vero etiam generatim comitatur eas id, quod nulli aliarum febrium adeſt, ut rigor, aut horror, aut frigus ſuperveniat, præcipue intermittentibus. Nam in continentibus nihil horum evenit: verum etiamſi contingat aut rigor, aut horror, in ſemitertianis tale incidit. Adhæc inæqualis pulſuum motus & caliditas has potiſſimum ſequitur, & quod multas *αναδιπλάσεις*, id eſt *reduplicationes*, præcipue efficiat: imiteturque columbarum ſtercus, quod ſecundum putredinis ſucceſſionem ignem accendit, ac rurſus conquieſcit.

Jam rodens qualitas & ipſa maximum febrium ex putredine ortarum indicium exſiſtit. Adparet etenim in hecticis quoque, ſed in alto magis deliteſcit: ex putredine vero ortis febribus, rodens qualitas per extimas partes maxime percipitur.

Inſuper maxima & certiſſima nota, etiam pulſuum ſyſtole citatior eſt, & urinarum cruditas: nam in diariis ſemper concoctæ adparent. Tantum etiam de febribus ex putredine internoſcendis dictum ſit.

De curatione febrium continentium.

Continentes febres ſolerti diligentia curari debent: ſubitoque id faciundum, quod internotio

dictaverit; ſive ſanguinis miſſionem, ſive purgationem requirat. Maximum enim incommodum eſt, cum in omnibus morbis, tum vero in continentibus, dilatio. Nam febres vehementiores redduntur, dum putredo augeſcit, & vires imbecilliores fiunt, ut quæ febrium magnitudinem non amplius ferre poſſint, neque præterea magnorum præſidiorum aliquod ad curationem admittere queant.

Internotio.

Qui igitur ſanguinis miſſione indigent, eos hoc pacto internoſcere tibi licet. Urinas habent rubras, turbatas & putridas, multumque acres: oculos bilioſos & rubros, totum corpus grave; venas latiores, & earum torulos quam antea tumidiores. Cæterum etiam cauſæ, quæ præceſſerunt, humorem redundantem tibi indicabunt, præcipue victus ratio. Nam ægri calidioribus magna ex parte cibis, potibus, vino liberaliore & magis vetuſto, carnibus pinguibus uſi deprehenduntur. Multi vero ex inedia aut ira in continentes febres, quæ ob putredinem naſcuntur, inciderunt, alii ab ſanguinis venarum in ano exſtantium (*αἱμοῤῥοΐδας Græci appellant*) retentionem. Alii vero ob ſanguinis copiam potius hæc habent indicia: nonnulli ex bile ſuperflua pallidi ſunt magis & nigriores. Quando autem humores etiam plus æquo aduſti fuerint, tunc ipſis urina adhuc magis pallida & ſubinde nigrior adparet, & dejectiones ſimiliter acres & bilioſæ. Hoc igitur modo humores qui redundant, qualeſque ſunt, cognoſcere oportet.

Curatio.

Itaque febres ex putredine & ſanguinis abundantia ortæ, venæ ſectione curari debent: non tamen minus etiam iis, qui a bile infeſtantur, ſanguinem detrahes, ſiquidem turgens, ad purgationem idoneus, craſſior ſanguis, & copia tibi peccare videatur. Nam perſpiratu diſcutere materiam intus latitantem & putreſcentem conducit: quippe minor efficitur, nec permittendum ut ea propter copiam & craſſitiem meatibus infarciatur & putreſcat. Quod ſi venæ ſectionem non poſſis adhibere, ob vires ægri imbecilliores, aut quod is ſanguinem dimittere metuerit, tunc magis ad victus rationem, quæ refrigerare poſſit & humectare, necnon attenuare & diffundere adeo citra calorem queat, reſpicito. Poſtquam vero hoc feceris, & materia multo minor, & concoctionis notas habere videatur, tunc audacter aquam frigidam exhibeto.

De frigidæ potu.

Atque id facies potiſſimum ſi æger aquam bibere conſueverit, adhæc ſi nec inflammatio, aut ſcirrhoſus tumor, aut laxus, *quod οἴδημα dicitur*, partem quandam poſſideat. Si enim ex his aliquod adparuerit, aquæ potio vitanda eſt.

De inflammatione eryſipelacea.

Quod ſi inflammatio fervens & eryſipelacea fuerit, tunc frigidæ potum exhibere ne dubites. Prædicito autem id quod futurum ſit, nempe quod fervor febris extinguetur quidem neceſſario, ipſa vero tota non prorſus diſcutietur, ſed tem-

pore aliquo procedente, febris reliquiæ adhuc ſuperſtites tuto & particulatim diſſolventur. Ego ſane novi aquam me frigidam alicui dediſſe, qui eryſipelate infeſtaretur, ardentique & continua febri laboraret, ac vehementiam febris ex ea reſtinxiſſe, eripuiſſeque periculo, ne ex intempeſtivis cataplaſmatis & inunctionibus interiret, quæ medici ſemper in omnibus ſolent adhibere.

Notæ inflammationis eryſipelaceæ.

Sciendum eſt eos, qui ardente febri laborant, ob eryſipelaceam inflammationem, magis quam alios ſitire, & veſtimenta a corpore projicere. Evidentius autem hoc eſt indicium, quod etiam tertio quoque die acceſſionem validiorem experiuntur, & recrementa per alvum bilioſa & ſaniei ſimilia excernant. At qui in pulmone inflammationem eryſipelaceam ſentiunt, non adeo vehementer ſitiunt, ſed frequentem magnamque reſpirationem edunt, genas habent rubentes, linguam ſcabram, & delirant, frigidumque aerem magis appetunt, magiſque ab eo, quam a frigidæ potu juvantur. Hanc autem iis potius, qui in alia parte inflammationem habent eryſipelaceam, offerre convenit: illis autem, quorum pulmonem hæc exercet, frigidum aerem, ut a quo etiam juventur, ad ſpirandum magis procurato.

CAPUT III.

DE CAUSO, VERO ATQUE FALSO.

Scire hoc quoque oportet, duas eſſe febris ardentis ſpecies, unam ſane veram exquiſitam, quæ omnia commemorata habeat, ſitim vehementem, dejectiones bilioſas, linguam ſcabram & nigricantem: falſa autem, & ipſa quoque ſitim adfert, ſed non adeo vehementem & intenſam, neque linguæ nigrorem; neque excrementum per alvum excernitur bilioſum, ſed magis corrupta; neque amaritudo in guſtu ex pituitoſo humore ſalſoque potius ſuperante percipitur: unde etiam periculoſa magis eſt, quam febris germana, Quapropter veris febribus ardentibus exquiſitiſque, quum a flava excitentur bile, aquæ frigidæ potio magis convenit, aliaque omnia, quæ refrigerare etiam extrinſecus facultate & actu poſſunt.

Quibus autem ex pituita origo eſt, his frigida potio exhiberi non debet, ac nulla, quæ actu refrigerant: verum illa potius quæ mitem calorem tepidumque ſortita ſunt; cujuſmodi ſunt epithemata etiam ſola, quæ ex lini ſemine parantur: ſubinde vero etiam, quæ ex hordeacea farina aquæ incocta, cui chamæmelum & melilotus adjecta fuerint, conficiuntur. Nam lintea lanea juri herbarum, quas diximus, decoctarum intincta, magis conveniunt. At clarum eſt, quod etiam oleum quoddam, cujuſmodi eſt chamæmelinum, roſaceum & omphacinum, decocto recte accommodatur.

Intelligendum autem eſt hujuſmodi epithemata non ſolum falſis, ſed etiam germanis febribus

ardentibus conducere, falſis tamen amplius. Quæ enim & facultate & actu refrigerant, ea germanis potius competere: cujuſmodi ſunt etiam lexipyreta, quæ ex roſaceo parantur quibus adiectus quoque ſit ſuccus herbarum refrigerantium, cotyledonis, oxalidis, lactucæ, atriplicis, portulacæ, plantaginis, & aliarum complurium. Quum igitur differentias ipſarum notaveris, & materiem unde accenduntur, ita etiam intelligito, quatenus refrigerare, & quomodo id quod corruptum eſt expurgare debeas.

Ad ſtomachum ardore æſtuantem.

Quibus ſtomachus ardore æſtuat, probe faciet aqua frigida cum roſaceo ſubacta, & extrinſecus impoſita, aut ſeſamum aqua maceratum, deinde cum roſaceo diligenter lævigatum. Item ceratum roſaceum bene facit, cui admixtus ſit portulacæ & uvæ acerbæ ſuccus pari portione. Sin autem totum quoque corpus cerato inducto humectaveris, valde commodabis.

Quomodo febres ex ſanguineo humore provenientes notari debeant.

Febres, quæ ex ſanguinei humoris putredine accenduntur, inde cognoſces, quod mitis ſtatim calor ad primum manus tactum percipitur, qui nihil habeat rodens & acre, qualis in febribus deprehenditur, quæ ex flava bile plus ſatis aduſta excitantur. Adparet etenim in febribus etiam ex pituita putreſcente creatis, ſtatim per initia calor tum mitis, tum vaporoſus: ſin autem quis manum diutius admoveat, paulo poſt rodens ca-

ſiditas tactui occurrit, veluti per colum quoddam aut cribrum ſurſum emergens. Ubi igitur febres ex ſanguine orientes internoveris, ſtatim per initia (ut dictum eſt) venam ſecato: eos autem qui ex bile febricitant, purgato potius, ſi materia tibi ad excretionem proclivis videatur, & febris quæ invadit, vehemens non fuerit. Novi autem me etiam acuta laborantem febri purgaſſe: verum hujuſmodi multam diligentemque notationem & animadverſionem requirunt: & medicum qui animo fuerit confidenti. Abunde vero eſt etiam ſanguinem duntaxat mittere, eo quod tutius efficaciuſque ſit remedium, & refrigerante ac humectante victu, atque hujuſmodi unctionibus in poſterum uti.

De victus ratione.

In omnibus ſane ptiſanæ cremor idoneus exſiſtit: ſed in germanis quidem & perurentibus febribus, *quas καύσȣς Græci appellant*, ſitim vehementem adferentibus, etiam refrigeratum cremorem concedere oportet, ac cerata ſimiliter parare ex aqua frigida, roſaceo & refrigerantibus: in falſis autem nequaquam: verum ſufficiunt omnia tepida & temperata, & nullum ex iis, quæ vehementer refrigerare poſſunt habentia. Porro lactucæ caules refrigeratos, ova, ſimiliterque intybum agreſtem & domeſticum, & cucurbitas iis, qui perardenti febri laborant, omnia exhibere conducit. Oxymeli vero his dari prorſus non debet, nec multiplicia ac varii generis omnino decocta, ut quæ graviter febricitantibus omnia ſint inimica. Porro ſi multis ægrum vigiliis conflictari acciderit, tunc ei antidotum, *quod διὰ κωδιῶν, a*

papaveris capitibus Græci appellant, offerendum eſt. Quippe ubi devoratum fuerit, ſomnum inducit; & febrium vehementiam ardoremque obtundit. Quod ſi vero etiam falſis febribus ardentibus ob vigilias, aut mentis alienationem ægro moleſtam, dare ipſum cogaris, cum momento apomelitis ei admixto exhibeto. Sic namque metuendum non eſt ne medicamentum frigiditate materiam reddat craſſiorem. Ego rhodomeli & hydrorofatum aquæ mixtum, ac roſatum ipſum per ſe, refrigeratum, iis potiſſimum exhibui qui jecoris ardorem ſentiebant.

De balneo.

Lavandi ſunt, qui fervida & perardenti febri laborant, in domo potiſſimum, ubi ſolium habeatur tepente aqua plenum, ut totum ægri corpus undequaque ab aqua operiatur. Non autem adjunges ei aliam præterea, neque omnino ipſam commovebis, ut quæ vires digerat & convellat. Quare neque imbecillis admodum viribus præditos in ſolio lavare convenit, quod apud Romanos tinam ingredi dicitur: illi vero in id deſcendent, quorum vires diſſolutioni & digeſtioni quæ ex tepida provenit, obſiſtere ac tolerare poſſunt.

Tantum de ardentibus & continentibus febribus dictum ſit: putoque hæc abunde ſufficere; ſi enim ex particularibus quippiam prætermiſſum fuerit, ex iis quæ generatim membratimque dicta ſunt, reliquum ipſe tibi invenire poteris.

De ſyncope quæ in febribus accidit.

Virium ruinæ, *quas Græci συγκοπάς appellant*, ſubito in ægris oriuntur, aut ex crudiorum humorum præſertim os ventriculi gravantium copia: aut ex bilioſis nimiumque tenuibus, & qui facile diſſipantur, humoribus: interdum vero etiam, dum ad os ventriculi confluunt, ut hac quoque de cauſa vires convelli proſternique contingat. Quoniam igitur virium ruinæ non una ex cauſa, ſed tum ex crudis, tum ex tenuibus bilioſiſque humoribus oboriuntur, videndum eſt, quomodo horum differentiæ diſcerni notarique debeant. Niſi enim diſcrimina internoveris, fieri non poteſt, ut remedia ad unamquamque cauſam recte accommodes.

Notæ febrium in quibus humorum crudorum copia ſyncopen inducit.

Qui ſane ob crudiorum humorum copiam in ſyncopen incidunt, primum ſane faciem habent tumidiorem, pallidioremque, os ventriculi totumque ventrem flatibus diſtentum, adhæc pulſus exiguos, raros & tardos: inſuper ructus ſuſtinent acidos, habitumque pituitoſiorem repræſentant. Jam ea, quæ præceſſerunt, clarius tibi humorem ſuperantem indicabunt. Nam cruditates tunc continuæ plurimum præcedunt, otia, intempeſtiva balnea, leguminum fructuumque fugacium, & carnium repletio, vinique craſſioris ſiniſter uſus. Hoc igitur modo, qui ex crudorum humorum abundantia ſyncopen experiuntur, internoſci debent.

Notæ eorum qui ob bilioſis tenueſque humores ſincope conflictantur.

Qui ob bilioſos tenueſque humores ſyncope laborant, hac ratione internoſci poſſunt. Primum ſane facies ipſorum ſqualida eſt & ſicca; pulſus exigui, inæquales, & inordinati apparebunt: dejectio autem bilioſa eſt, vigiliæ magis quam in aliis urgent, ſitiſque affligit. Jam ex aliis quoque multis notis diſcerni poſſunt, præſertim vero iis, quæ præceſſerunt. Sollicitudines enim & triſtitia, cibuſque modicus, iſque ex vitioſis & acribus aſſumptis, hos præcedere magna ex parte conſuevit. Sic igitur ipſi internoſci debent.

Curatio eorum qui ſyncope periclitantur.

Curandi ſunt, qui ex crudorum humorum copia in ſyncopen incidunt, tenui victu, atque omnibus, quæ extenuare poſſunt. Salubre igitur eſt, quantum ad copiam attinet, vacuationem per ſectam venam moliri, eamque rurſus iterare: imo non permittere, ut humores crudi rurſus in corpore redundent. Metus enim eſt, ne vires proſtratæ humorem crudum nequeant concoquere, & diſtribuere. Satius igitur arbitror, ut evauationem potius vitemus. Sin autem humor uſque adeo ſuperaverit ut periculum ſit ne vires ſuffocentur, non abſurdum eſt tunc ex copia modicum ſubtrahere, & gravatas ipſas levare. Videmus enim plerumque id etiam in igne evenire. Quippe quum is propemodum a viridibus lignis exſtingueretur, ſubinde paucis ademptis, rurſus illuxit, & iis, quæ ipſum ſuffocabant, ſuperior evaſit.

Quaprop-

Quapropter ſi vires robuſtæ, & copia quæ offendit, admodum ampla fuerit, in eum modum eſt agendum: ſin autem imbecillæ fuerint, & cruditas multa ſubſit, frictionibus incumbendum, atque iis, quæ ſenſim extenuare ac diſcutere, crudoſque humores & incoctos poſſunt concoquere. Tale vero eſt chamæmelum, ut quod rarefaciat, diſſipet, & cauſas morbi concoquat. At frictionem incipere convenit a cruribus deorſum: deinde ad totam ſpinam & brachia tranſeundum eſt: poſtea rurſus a brachiis ad inferiores partes & pedes: idque frequentius faciendum eſt, ita ut virium ratio habeatur. Quum enim nonnulli ſæpe immoderatam magis frictionem adhibuiſſent, vires ſubito digeſtæ diſſolutæque fuerunt. Ego ita quemdam ex inſcitia fricantium in ſyncopen prolapſum conſpexi; juſſerat enim ille, continue integrum diem & noctem ipſum perfricari, & a cibo omni ad quintum uſque diem abſtinere: deinde quum impie hoc ipſe faceret, æger qui non potuit utrumque, tum defatigationem, tum inediam in alios quinque dies tolerare, ſyncope interiit. Conveniebat enim (meo judicio) eum, qui tam immoderata frictione, & acribus oleis in uſum adhibitis tantam cruditatem diſcutiendam putabat, non prorſus a cibo ægrum continere adeo, neque rurſus nimium eo gravare, ſed ab immoderata frictione deſinere. Nam ubi fames, laborandum non eſt: ſicut inter omnia hoc quoque prudens ille ſenex pronuntiavit.

Haud novi quid etiam diviniſſimo Galeno in mentem venerit, quod ita faciendum eſſe præcipiat, frictionibus autem immoderatis utendum, oleumque ſicyonium inducendum: ac inediam imperet. Nam hyſſopum ipſis una cum modico

melle bibere præcipit, nihilque aliud ad ſeptimum uſque diem aſſumere. Quis, o dii immortales, vires adeo validas eſſe cogitare poterit, qui ſimul omnia, & inediam & frictionem pariter ferre queat? Mihi ſane melius videtur & moderatius, perfricare, & rurſus nutrire, ad vires reſpiciendo, cremore ptiſanæ, aut alicæ cum oxymelle, & pane in vinum tincto, ubi vires admodum imbecillæ appareant. Nam utrumque faciendo, ut interim ſane ex copia humorum nonnihil perfricationem diſſipemus, deinde rurſus commodum alimentum, quod concoqui facile, & in partes corporis diſtribui poſſit, ſubſtituamus, tum vires conſervari, tum crudi humores probe concoqui poterunt.

De vino.

Vinum dare febris quidem cauſa non oportet, verum ob crudiorem materiam ſuperantem, eorum quæ ſenſim extenuare & calefacere poſſunt, uſus exſiſtit. Nihil itaque abſurdi eſt, tenue, quodque in corpus facile diſtribuitur, & nullam manifeſtam adſtrictionem aut dulcedinem obtinet, exhibere: ætate vero non nimium recens, neque vetus eſto, neque colore nigrum, ſed potius ſubfulvum & album, & ſubſtantia tenue. Cupimus enim, ut quamprimum in venas totumque corpus diſtribuatur, præſertim quum vires & collapſas & in periculo interitus conſtitutas recreare feſtinamus.

De balneo.

Qui ex humorum cruditate ſyncope laborant, non ſunt, opinor, ad balneum cito ducendi. Nam

materia quum craſſior ſit & copioſa, nondumque extenuata, eoque diſcuti nequeat, inde magis meatibus infarcietur, & febres augebit. Ubi igitur humores extenuati fuerint, & concoctio jam appareat, ita tandem lavare ægros, & cibo leviter calefaciente nutrire oportet, utpote porro probe cocto cum opomelite, & piſcibus, ſi fieri poteſt, ſaxatilibus: ſin minus, fluvialibus, quos Græci anadromos appellant, ex oxymelle, & gallinarum cohortalium alis. Poſtquam vires ex his auctæ fuerint, citra noxam deinceps cibi offerri poſſunt, qui valentioris ſint ad nutriendum materiæ.

Curatio eorum, qui ob tenuium humorum putredinem ſyncope conflictantur.

Qui ex ſubtiliorum humorum putredine in ſyncopen incidunt, eos conſtat contrario modo curandos eſſe, victu qui humores craſſos reddat, & ægre in partes digeratur. Cremor igitur alicæ iſtis convenit, & panis hydroroſato aut omphacomeliti intinctus: item gallorum teſticuli, citrum, intybus, lactuca, aſtaci, pectines, buccina, erinaceus, & aphratum? & mala, malum punicum, pira. Atque hæc non una vice, ſed particulatim & ex intervallis offerre convenit, ut etiam id, quod ratione alimenti datur, non gravet in ſyncope vires, ſed potius augeat.

De vino.

Vinum his aquoſum dari debet, quale eſt Cnidium, aut Sareptinum, aut generoſum Sabinum: non ſit ætate nimis vetuſtum, ſed aquoſum adeo,

neque merum bibatur. Quin & unctio adhibeatur quæ nullam habeat vim cutis laxandæ, aut rarefaciendæ efficacem, ſed e contrario denſandæ & corroborandæ: cujuſmodi etiam eſt oleum melinum. Pulverum vero ejuſmodi uſus eſto, qualis roſarum flos, ipſæque roſæ, ſi inſpergantur, exſiſtit: præcipue quando etiam ſudores copioſius erumpunt, & æger in ſyncopen incidit, vireſque ad ſummam imbecillitatem perveniunt.

De animi defectione.

Quoniam vero animi quoque defectiones ſyncopas inducentes ægris contingunt, vireſque repente dejiciunt, conſentaneum eſt, ut de his quoque generalius diſceptemus: deinde ita quæ etiam nobis tempus intelligenda obtulit, apponemus iis, quæ a diviniſſimo GALENO ſunt prodita. Ipſa igitur defectionis animi res una eſt, cauſæ vero ipſius multæ, & unaquæque ipſius ſpecies propriam obtinet. At de omnibus nunc ſcribere non licet: affectus autem qui ſimul comitantur, ſeorſum curari non poſſunt. Tantum igitur in præſenti libro de iis dicemus, quomodo quis acceſſionibus ſubito incidentibus queat reſiſtere.

De iis qui ob ſubitas vacuationes animo deficiunt.

Qui igitur ob choleram, inteſtinorum lævitatem, & alias ſubitas vacuationes animo deficiunt, iis aquam frigidam adſpergere oportet, nares comprehendere, os ventriculi perfricare, ſtomachum ad vomitionem turbare, aut digitis aut pennis inditis. Imo & manus & crura ligare convenit, ac deligaturæ plures vehementioreſque eſſe de-

bent: in ſuperioribus quidem partibus, ſi deorſum vergat evacuatio: in imis autem, ſi ſurſum erumpat. Cæterum vinum aqua frigida dilutum, ſyncopæ medetur, quæ ob vacuationes uno impetu factas, & virium diſſolutiones evenit, maxime quum defluxiones in ventriculum decubuerint: ſed inſpiciendum eſt numquid vinum prohibeat.

Balnea fluxionibus quidem in ventriculum idonea ſunt, verum ſanguinis fluorem vehementer irritant: adhæc eis qui ob copiam ſudorum animo deficiunt: atque hi ratione maxime contraria curabuntur; cutis enim horum refrigeranda, adſtringenda, non laxanda eſt: ac vinum his potiſſimum frigidum exhiberi, nihilque prorſus calidum offerri debet: imo neque ligare imos artus, neque ad vomitum cogere oportet, ſed ventorum ingreſſus ad eos potius moliri convenit, ac domus aerem ad refrigerantem & adſtringentem qualitatem convertere, myrtique & vitium capreolis, & roſis pavimentum inſternere. Horum nullo uteris, ubi fluxiones in ventrem tendunt, nam fluxio augeſcit quantum cutis denſata fuerit. Qui igitur ob vacuationes diſſolvuntur, iis hoc pacto ſtatim ſuccurrendum eſt.

De iis qui ex copia humorum animo deficiunt.

Quibus ex copia animus deficit, non ſimiliter tractari debent, verum artus in illis quamplurimum perfricare, calefacere, & deligare convenit: vino autem ciboque, & balneis, ſi febricitent, abſtinere. Satis eſt eis etiam mulſam potui dare, in qua thymum, aut origanum, aut

pulegium, aut hyſſopum decoctum ſit: conducit etiam oxymel.

De iis quæ ex utero animi defectionem experiuntur.

Et quæ ab utero diſſolvuntur, pari modo, præterquam oxymelite, curandæ ſunt, ac crura potius, quam brachia, earum deligare, ac fricare oportet. Quemadmodum enim, quibus ſanguis ex utero immoderate profluit, earum mammillis cucurbitulas defigere ſolemus, ita quibus uterus ſurſum & ad latus attractus eſt, inguinibus feminibuſque admovebimus: naribus, ea quæ fœtidiſſimum odorem movent: uteris autem, odorata, & quæ laxare poſſunt ac calefacere, adhibebimus.

De iis, qui ob imbecillem ſtomachum animi defectionem experiuntur.

Quod ſi ſtomachus imbecillis fuerit, atque ideo animus deficiat, obduci quidem debet iis, quæ roborandi vim habent: cujuſmodi parantur ex palmulis, vino, polentis, croco, aloe, ac maſtiche: perfundi autem oleo abſinthite, melino, maſtichino, & nardino.

Si ardor ſtomachum infeſtet.

Si ardor ſtomachum exerceat, refrigerantium aliquod miſceri debet, ut ſuccus cucurbitæ, lactucæ, portulacæ, ſolani, ſeridis, & uvæ acerbæ: is quidem non adſtringit ſolum, ſed etiam confirmat. Jam aqua frigida tempeſtive iis data, quibus ſtomachus ardore æſtuat, frequenter pro-

fuit; ſin autem intempeſtive exhibeatur, valde nocet: atque idcirco potius, quando dari debeat, accurate internoſcendum eſt. Vinum autem calidum imbecilli ſtomacho, ſi nihil aliud obſtabit, recte exhibetur. Jam extremorum frictio tales quoque inſigniter adjuvat. Quod ſi ex his melius habuerint, ſi ardorem quidem in ſtomacho ſentiunt, ad balneum celerrime ducendi: qui vero frigiditatem aliquam percipiunt, his medicamentum διὰ τριῶν πεπέρεων, ipſumque piper ſolum & abſinthium propinari debet.

Qui ex vitioſis humoribus, ventriculi os rodentibus, animi defectionem ſuſtinent, his aqua calente & hydrelæo dato vomitus præcipitur. Sin autem æger difficulter vomat, ipſas ſtomachi regiones, pedeſque & manus prius oportet fomentis calefacere. Sin vomere nequeat, digitis aut pennis in os inditis ad id provocandus eſt. Si ne ſic quidem potuerit, rurſus eis oleum calidum quam copioſiſſimum exhibere convenit. Solet autem frequenter hydrelæum non ad vomitum incitare, ſed ventrem emollire: idque non exiguum in præſentia præſidium affert. Quare ſi æger non ſua ſponte ad vomitum proclivis eſt, arte is ſollicitari debet, maxime autem rebus quoque appoſitis id præſtare conandum eſt.

At ſi vacuatio ex his provenerit, abſinthii turionibus decoctis mulſa parari, potiuſque dari in ſequenti tempore vinum quoque debet: & particulæ variis modis tum externis epithematis, tum abſinthii potione roborari. Non tamen id per initia facere præcipio, ſed poſtea, quum venter fuerit purgatus. Ubi vero humores in eo continentur, neutiquam eum adſtringere, ſed fo-

mentis tantum calefacere, ut antea comprehenſum eſt, oportet.

Si ob pituitam animus deficiat.

Ubi pituita frigida copioſaque in ſtomacho collecta fuerit, is oleo, in quo abſinthii turiones decocti ſint, liberaliter fovendus eſt: deinde vero mel, piper, & antidotum, quod dioſpolites dicitur: ac univerſa victus ratio inciſoria adhibeatur.

Si ob frigiditatem animi defectio eveniat.

Qui ob validas perfrictiones animo deficiunt, eos ſimiliter ac grandi fame infeſtatos curabis, nempe ut omnimodo eos calefacias, tum vino calida diluto, tum cibis calori excitando efficacibus exhibitis. Adhæc perfricare eos, & ad ignem calefacere expedit.

Si ob caliditatem animus deficiat.

Defectiones animi ob caliditatem ampliorem provenientes, refrigerantibus, & iis quæ roborare poſſunt, curare oportet. Incidunt autem hæc iis potiſſimum qui in aere ſuffocato & balneis diutius ſunt immorati. Roborabis igitur ipſos, ſi quamprimum aquam frigidam potioni exhibeas, refrigeria ventilando excites, & in aerem ducas: os ventriculi perfrices, vomitumque prorites: deinde vero & vinum & cibos offeras.

Si ob igneas inflammationes animus deficit.

Qui ob inflammationis magnitudinem & febrium

malitiam animo deficiunt, quum in acceſſionibus perfrigeſcunt, eorum artus valenter perfricare, & calefacere crura, & brachia deligare oportet: vigiliæ indici ægris, omniſque cibus & potio circumcidi debet. Optimum autem in his eſt prænoſcere, quando futura ſit acceſſio: ut hoc ipſum, antequam illa invadat, efficere poſſis. At qui ex ſiccitate & inedia in ſyncopen per acceſſionum initia concidunt, optimum eſt iis antea proſpicere. Si enim horis duabus aut tribus ante acceſſionem cibo dato, pedes & manus contineri juſſeris, non interibunt. Oportet autem cibos eſſe, qui facile & concoqui & in corpus diſtribui poſſint.

Si vero etiam vehemens aliquod periculum ſubeſſe conſideraveris, vinum mox exhibebis, maxime quod chondro incocto ſuperfuderis: ſi panem quoque in chondri vicem offeras, idem valet. Quod ſi mediocris ſyncope exſpectetur, neque vinum dari debet: verum abunde tunc eſt malum Punicum, aut pirum, aut malum, aut aliud quoddam pomum adſtringens cibo miſcere. Et ſi ob hæc acceſſionem moderate ferant, quum rurſus cibum offers, non neceſſe eſt pomis uti. Hæc quidem agenda ſunt, ſi id quod futurum eſt prænoveris. Illis autem, qui repente in periculum incidunt, vinum exhibebis, panemque calidum, & cum eo chondri valde exiguum. Si enim copioſius cibos etiam concoctu difficiliores ita affectis dare velis, non modo in ſyncopen incident, ſed etiam ſuffocabuntur.

Si ob nobilis partis obſtructionem animus deficit.

Quibus ex inſignis partis obſtructione animus

K 5

deficit, oxymel propinatur: & qui ex hyſſopo, origano, pulegio & melle tum potus, tum cibi inciſorii conficiuntur, exhiberi debent; imo etiam artus & fricare & deligare vincit. Jam prodeſt quoque cientibus urinam uti, cujuſmodi ſunt ea quæ ex anetho, fœniculo, apio, ſpica nardi, dauco, & ammi, parantur. Ex quibus, quum manifeſtum jam commodum apparuerit, vino etiam utendum albo, tenui, & non valde vetuſto.

Obſtructionis notæ.

Deprehendes hujuſmodi obſtructiones, cum ex aliis pulſuum inæqualitatibus, tum vero ex iis maxime, quæ ex magnitudine, parvitate, vehementia & obſtructione cernuntur deprehenduntur que, concurſu, ut vocant, plethorico non præſente. Sunt etiam, in quibus pulſus ob magnas hujuſmodi affectiones, intermittentes redduntur.

Quum animus ob ſectionem abſceſſus aut rupturam deficit.

Quibus propter rupturam abſceſſus, aut ſectionem, vacuationemque uno impetu factam, animi defectio orta fuerit, hos quamprimum odoratis recreare oportet: paulo autem poſt, ſorbitionibus concoctu facilibus alere.

Si ob gaudium, aut mœrorem, & ſimilia, item ſi ob dolorem animus deficiat.

Qui vero ex triſtitia, aut gaudio, aut metu, aut attoniti in animi defectionem inciderint, eos

poſtquam odoratis admotis, naribuſque comprehenſos reſtituerimus, ad vomitum cogemus. Pari modo, qui ex vulneribus, ac doloribus articulorum, nervorum, & muſculorum tendinum deficiunt, quamprimum recreare oportet: poſtea affectus quoque curationem aggredi.

Si ob ileon aut colon animus deficit.

In colicis affectibus, aut ileoſis, aut aliquo eorum, qui adeo magnos cruciatus inducunt, comitantes animi defectiones, affectarum partium fotu potiſſimum conquieſcunt.

Si ob virium imbecillitatem animus deficiat.

Sin autem ex propria facultatis, quæ corpus regit, imbecillitate, animæ defectio contingat, quæ intemperiem illarum partium comitatur, unde vires ducunt originem, contrariis curabitur, calefaciendo quidem frigidas, refrigerando autem calidas: atque in aliis ſimili ratione. Facultas igitur, quæ vitalis dicitur, ex corde proficiſcitur, quam ex obſcuris pulſibus cognoſci demonſtratum eſt: quæ autem ex jecore provenit, cruentis dejectionibus, quæ per initia quidem aquoſæ & tenues, poſtea vero amurcæ inſtar craſſæ fiunt. At quæ ex cerebro trahit originem, quam nonnulli ſingulari vocabulo animalem nuncupant, ex voluntarii motus imbecillitate cognoſcitur.

CAPUT IV.

DE FEBRE HECTICA.

QUUM immodicus fervor humiditati ſubſtantiali quæ ſolidis particulis ineſt, ſupervenerit, non tamen hæc diſſipata fuerit, verum ſalva adhuc in eis perſeveret, ſemperque ferveat, & nullam declinationem habeat, tunc hujus febris ſpeciem *becticam* nominant.

De maraſmode & hectica.

Quod ſi humiditas ſubſtantialis in nobis conſumatur, hujuſmodi febris *a marcore* Græcis *maraſmodes* appellatur. Sin autem in totum conſumpta fuerit, aut torrefacta, tunc abſolute maraſmus conſtituitur: unde hectica quidem non adeo difficilem curationem recipit, torrida autem ac marcida nullam. Ne igitur difficilibus curatu, tamquam facilibus, per ignorantiam manum admoveamus, & ſperato ſucceſſu fruſtremur; neque rurſus curatu facilia, ceu deplorata vitemus, unaquæque ipſarum ſpecies ab altera diligenter nobis eſt diſcernenda, ut hæ ſingulæ etiam optime internoſci queant.

Quomodo diaria ab hectica diſcerni queat, & notari.

Hecticæ febres, quemadmodum diariæ, frequenter etiam ipſæ ab externa cauſa naſcuntur, & non ſemper a febrium ob putredinem ortarum tranſitu. At ſcire licet, caloris qualitatem in he-

cticis quidem acrem & ſiccam eſſe, in diariis autem mitiſſimam, atque celeriter tactui occurrere, & quodammodo circumfundi. Jam ex urinis quoque has licet facile diſcernere: nam ſi perfecta concoctio per initia tibi appareat, tunc diariam febrim eſſe putato: quum autem cibus quidem ſumitur, nulla autem concoctio apparet, hecticam ſuſpicari oportet, quæ etiam ex pulſibus notatur. Nam in diariis magni ſunt & celeres, in hecticis autem exigui & obſcuri quum ſint, virium imbecillitatem portendunt. Jam numeris horarum invicem diſcernuntur: nam horis decem aut duodecim præteritis, ſi febris non conquieverit, hecticam fore potius exiſtimandum eſt.

Quomodo hectica a putridis diſcerni debeat.

Quod ſi febris intervallum prorſus nullum habeat, adhæc neque obſcurior aut vehementior fiat, ſed eodem modo firma ac conſtans, hecticam hanc eſſe putato. Nam in putridis & incrementum & imminutio accidit: augmentum quidem in ſtatu, imminutio autem in declinationibus.

Quomodo continens ab hecticis diſcernatur.

Etſi vero continentes hac ratione ſimiles hecticis videantur, quod & ipſæ nec augmentum nec imminutionem recipiunt: attamen caloris qualitate & pulſibus ab illis diſcernuntur; ſiquidem continentium calor non eſt ſiccus & acris, quemadmodum in hecticis, ſed etiam in ſumma cute magis apparet. Ac in continentibus pulſus ſane magni & celeres exſiſtunt, in hecticis autem exi-

gui & obſcuri. Hoc ſane modo hecticas ab omnibus ex putredine ortis diſcernere poteris.

Notæ hecticarum maximæ.

Maxima vero nota eſt hecticarum, quod a cibo caloris incrementum fieri videatur: non eſt autem incrementum, ſed caliditatis in alto celatæ occultæque argumentum. Quippe in his tale fieri contingit, quale in calce; etenim ut ignis in hac celatus, ab injecta aqua deprehenditur: ſic etiam in hecticis cibus aſſumptus calorem in alto deliteſcentem foras evocat.

Notæ hecticæ in maraſmodem febrim tranſeuntis.

Maraſmodis febris ab hectica profectæ ſigna, etiam ex ipſa ſola ægri facie omnibus manifeſtiſſima exſiſtunt. Primum enim color vivus ac ſanguineus, *quem Græci χροιᾶς ανθος, hoc eſt florem coloris appellant*, non amplius in eis ſervatur: ſed nigrior quodammodo, exaridus, & ab immodica febrium caliditate ſqualidus apparet; cutis vero frontis valide diſtenditur, & palpebræ gravantur, ceu in iis qui dormituriunt; non autem eſt ſomnus, ſed potius imbecillitas muſculorum, qui palpebras ſurſum adtrahere ſolent: unde etiam pituitas craſſas *quas λήμας vocant Græci*, aridas ob naturalium facultatum impotentiam in oculis habent: præcordia intenta ſunt, non autem quod ipſa vere ſint intenta, ſed quia membranæ & nervi tenſionem quamdam ob ſiccitatem ſuſtinuerint. Nam tali de cauſa imaginatio quædam nobis oritur, ut præcordia & inflammari & diſtenta eſſe putemus. Ac pulſus in

ejuſmodi ægris duri ſunt, & exigui ſimili ex cauſa, & frequentes propter uſus neceſſitatem, obſcuri ob imbecillitatem: graciles, quia in latum extendi nequeunt. At quid opus eſt talia ſigna commemorare, quum hæc adeo evidenter maraſmodem febrim repræſentare nobis poſſint? Quum igitur moderatiores ſint per initia, valentiores autem, ubi radices jam egerint, etiam id quod nondum eſt, pèr id quod jam eſt, maraſmum fieri ſignificat. Poſtquam omnium jam hecticarum notas expoſuerimus, ad curationem modo digrediemur.

Curatio febris hecticæ.

Hecticam ſi probe curare cogites, victu utere qui humectet & refrigeret, eo quod etiam non aliunde occaſionem accepit, quam ex humiditatis quæ ſolidas ipſas partes in primis nutrire poteſt indigentia. Verum quia refrigerantia diverſam ſortiuntur facultatem (etenim alia plus, alia minus ſunt efficacia) ſciendum eſt quibuſnam aqua, & aliud quoddam refrigerans, & quibus quidem magis, quibus autem minus dari debeat: item quibus nullo modo offerre oporteat: adhuc tempus quo exhiberi conveniat: item quos ſane tum intus, tum foris refrigerare, quos vero ſolummodo extrinſecus oporteat. Quum enim ita nos omnia diſtinxerimus, etiam curatio hecticarum, quamvis ſit operoſa, tum facilis, tum prompta ad ſanationem efficitur.

Quibus frigida dari debeat.

Si quidem igitur æger primario in hecticam febrim inciderit, atque non ex acutorum mor-

borum tranſitu originem traxerit, cum fiducia cremorem ptiſanæ potioni offerto, & panem in aquam tinctum lactucaſque, ac omni cibo utitor. Poſt cibum aquam frigidam, quantum velit, potui dato. Cavere enim hic febris inſultus & metuere non oportet; neque enim remiſſionem aut acceſſiones, quemadmodum in febribus ex putredine ortis, invenire licet. Ita ſane agendum eſt, ſi quando ipſa febris hectica per ſe ac primario fuerit, ægrique vires imbecillæ, neque alia febris ex putredine creata ei ſit admixta.

Quibus frigidam dare non oporteat.

Perpende rurſus, num quandoque febris hectica inflammatione magna præcordia infeſtante, ut putredine quadam in venis apparente, aut crudioribus humoribus excitata fuerit. Fieri namque poteſt, ut hectica ſit febris, & ut quædam ex putredine provenientium ipſam adulteraverit. Si igitur tale quid fuerit, aqua dari non debet: & præſertim ſi nulla concoctio in urinis appareat, neque inflammatio fervens, & magnitudine inſignis: præterea ſi vires ægri ſint imbecillæ.

Quando frigida exhibeatur, etiam inflammatione infeſtante.

Sin autem inflammatio fervens admodum fuerit bilioſa, eryſipelacea, frigida, recte exhibetur. Ego ſane novi, me cuidam tali affectu laboranti, æſtuantique ardore, frigida exhibita plurimum profuiſſe, ita tamen ut prædixerim ægrum paulo diutius morbo conflictaturum; quod etiam accidit: tardius enim vires recolligebat; evaſerat

autem,

autem, ita ut quum febris eſſet aucta, hectica in maraſmodem inciderit. Hac autem ratione, etiam ſiquæ ex putredine ortarum admixta fuerit, & præcipue ex ardentium genere, frigida potui exhiberi debet: neque vero ſimpliciter in his dabitur, ſed quum bonæ concoctionis notæ in urinis jam apparuerint, tunc offerre conducit.

De hecticis febribus quæ ex aliis in eas tranſeuntibus mutatiſque generantur.

Quod ſi hectica ex acutis morbis in eam commutatis oboriatur, magna enim ex parte maraſmodes hecticæ ſuccedunt, ubi ardentes febres non recte curantur) frigidæ potu interdicetur, præſertim immoderato. Nam corpore jam antea extenuato, imbecillique ſimul & excarni reddito, tum propter tempus quo illa excepta eſt, tum propter ardentium febrium intemperiem, neceſſe eſt duplicem comitari noxam: aut validam virium dejectionem interitumque, aut refrigerato corde, caloreque nativo protinus abolito, maraſmum ſenio perſimilem, quem merito ex morbo ſenium vocabant, ſubſequi; hic enim & frigidus & ſiccus exſiſtit, nequaquam febrim inducens. Quare neque refrigerantia, ſed potius humectantia ſimul & calefacientia requirit.

Quomodo externis remediis ſuccurrendum iis ſit, quibus frigidam dare non licet.

Cataplaſmatis igitur, fomentis, ceratiſque refrigerantibus in omnibus quidem febribus recte utimur, in quibus aquæ potio dari nequit, aut ob virium imbecillitatem, aut ob corpus plus

æquo extenuatum, carnibuſque deſtitutum. Inſpicito autem num etiam hectica maraſmodes jam excitata ex affecta particula primario duxerit originem. Etenim ex inflammatione jecoris, ventris, meſaræi, renum & coli, adhæc ob diuturnas uteri, thoracis, pulmonis, ſepti tranſverſi, & aliarum partium inflammationes provenire ſolet. Quare inſpiciendum eſt animadvertendumque, qua in parte febrim maraſmodem ſubſequi contigerit, eique potius remedia ad refrigerandum humectandumque efficacia adhibebimus, ut ipſum, veluti ignis fomitem exſtinguas.

Multa igitur ſunt in id efficacia, ſed nullum ita ut ceratum roſaceum. Quippe ſolidas partes refrigerare & humectare poteſt, ac tueri, ne humiditas, quæ modica in eis adhuc ſupereſt, prorſus intereat. In hunc autem modum conficitur: ceræ quadrans, roſacei unciæ ſex; cera ſemel aut bis lavatur: deinde ubi in aqua frigida ſoluta fuerit, roſaceo ſic adjicito: ſed ex hoc ſervato inſtar unciæ, paulo plus aut minus; & quum ceratum lento igne probe ſolutum fuerit, ſinito ipſum refrigerari: deinde ex cerato portionem acceptam in pila ſubigito, interdum relicti roſacei, interdum aquæ frigidæ momentum in pilam conjiciens, donec totum roſaceum inſumptum fuerit, ac cerato probe mixtum eſſe conſpexeris. Quod ſi etiam ovorum albumina adjicere volueris, præſtantius adhuc erit remedium. Pari modo, ſi cremorem ptiſanæ adjunxeris, melius adhuc efficies. Oportet autem linamenta crebrius mutare, nec permittere, ut medicamentum diutius corpori adhæreſcat, neque multum incaleſcat: quippe mora imbecillius redditur.

Ceratum hoc ad multa eſt utiliſſimum, nec eo

temere uti oportet. Ego ſane hoc frequenter uſus, incipientes hecticas cito diſcuſſi, ne adauctæ maraſmodem febrim inferre potuerint. Oportet autem in his quoque uſui iſtius inſiſtere, & non eum detrectare, ſed etiam crebrius adhibere, alias ut ceratum inducentes, alias liquidius reddentes, hydroroſato, *hoc eſt oleo roſaceo aquæ mixto*, copioſe diluendo. Ita namque hoc præſidio, inſtar unctionis uti licebit, cum omni in corpore, tum præcipue in conſumptis & extenuatis: ac non modo ſemel in die, ſed etiam bis ita, præſertim in viſceribus, uti convenit. Quoniam autem iterum illinemus, ratio eſt, ut etiam ſecunda vice unctum abſtergamus.

De fomento.

Fomentis utendum eſt, ſucco lactucæ, uvæ immaturæ, portulacæ, ſolani, & umbilici eneris. Præſtat autem ſuccos etiam refrigeratos, & præſertim nive, ſuper accommodare. Quod ſi nobilis quædam pars inflammatione tentetur, ſuccos non per ſe ac ſeparatim, verum oleo omphacino admixto, aut chamæmelino, aut etiam roſaceo, aut ſimul omnibus, inducere conabimur. At thoraci remedia non nimis refrigerantia admoveri debent, niſi multus fervor aut inflammatio in eo ſpectata fuerit. Verum ne ſic quidem linamenta diutius inhærere ſinemus, eo quod pleroſque ab immodica ipſorum refrigeratione haud mediocrem non ſolum reſpirationis, ſed etiam vocis noxam expertos novimus.

De domo in qua æger decumbet.

Non ſolum autem refrigeriis, quæ extrinſecus admoventur, ſed etiam aeris mutandi ad frigidius, artificio auxiliari tentabimus. Si igitur æſtas fuerit, in ſubterranea domo æger decumbet, & pavimentum aqua frigida copioſe conſpergatur, ut aer hinc frigidior evadat. Jam aqua ex aliis vaſis in alia decidat: nam mediocris hujus ſtrepitus etiam ſomnum provocat. Præſtat adhuc, ſi aerem ita immutes, ut non modo refrigerare corpus, ſed etiam corroborare poſſit; id quod fiet ſi pavimento injicias refrigerantium aliqua, aut roſam, aut ſempervivum, aut rubum, aut lentiſci turiones, aut vitis capreolos, aut ſimile quiddam, tum ad refrigerandum, tum ad robur inducendum efficax. Hujuſmodi ſane aer omnibus quidem hecticis conducit: maxime vero, quibus pulmo & cor igneum ardorem primario ſenſerit. Etenim a cibo & potu refrigerante non tantum juvantur, quantum a frigidi aeris inſpiratu: contra majus a cibo ſentiunt commodum quam ab aere, ſi jecur & venter, aut alia quæpiam pars fuerit affecta. Ita ſane, ubi æſtas fuerit, aerem ad frigidum mutari oportet: ubi hyems, calidior parandus non eſt; quomodocumque enim frigidus fuerit, nihil ipſos offendit. Reliquum vero corpus ſolummodo moderate cooperiri oportet, ut ne pluribus tegumentis incaleſcat, & æger ideo virium defectionem aliquam ſuſtineat.

De balneo.

Et balneum iis conducit, qui hectica febri la-

borant, quæ per ſe fuerit, & non cum aliqua ex humorum putredine provenientium conjuncta inveniatur. Tunc enim offenduntur, & nequaquam juvantur, præſertim ſi crudis adhuc humoribus lavare quis ipſos voluerit. Neque minus læduntur, ſi inflammatione nobiles partes obſidente, etiam modice id facere tentaveris. Sciendum autem, non modo hectica febri laborantibus, ſed etiam frigidis, ſiccisque intemperiebus, & ſenio, ex morbo balneum conferre. Habent enim balnea hoc quoque admiratione dignum quod & calidas & frigidas intemperies juvare poſſunt. In ſumma, ſiquis diverſos illos lavandi modos noverit, is (meo judicio) etiam omnem intemperiem mutare in contrarium poterit. Eſto igitur temperatus aer, unctio & ſolium. Eluere autem oleum convenit, ac ſtatim quum æger in exteriorem domus partem ingreſſus fuerit, corpus perungi: verum diutius in aere morari non debet: oleum autem viſceribus potius ſuperfundi. Egreſſus æger in frigidæ ſolium, quod non aquam frigidam, ſed lactis more tepentem habeat, perungatur. Circumdatus autem operimentis, non admodum diu in eis immoretur. Quum veſtem jam induet, rurſus totum corpus ungatur. Valde enim hoc juvare ipſos poteſt: quoniam humiditatem, quæ a balneo accedit, diu retinere oportet, & non ſinere, ut prompte ex corpore defluat. Egreſſus æger ex balneo, aut cremorem ptiſanæ, aut alicæ, aut lac aſſumat: ſin autem ſitis urgeat, etiam quum adhuc operimentis involutus eſt, non recuſes aut lac, aut aliud quoddam alimentum exhibere. Etenim tunc potius in univerſum corpus diſtribuitur, quum adtrahitur.

De lacte.

Lac igitur omnibus hecticis, præſertim in maraſmum deſinentibus, ſiquid aliud, idoneum eſt. Quapropter etiam iis valde conveniens eſt, qui vires habent imbecilles, neque alimentum poſſunt adtrahere: & hoc ſolum in corpus diſtribui, trahique, non parum accommodate poteſt. Itaque lac muliebre primum locum obtinet, ſecundum vero aſininum. Verum quoniam ægre nonnulli hoc aſſumunt, caprillum ipſis dandum eſt, quod medium fere exſiſtit, & magis poteſt nutrire. Conſtat autem, etiam curam animalis habendam eſſe, ut nutriatur domi, hordeo; myrti, lentiſci, & quercus foliis; ita enim lac non amplius corrumpitur. Nam hujus ſollicitudo habenda eſt, ut ne hecticorum alvus ſubducatur, præcipue eorum, qui ex frequenti ſyncope, & diuturna vacuatione alvi, in maraſmodem febrim inciderunt. Quamobrem quibus venter imbecillis eſt, & facile ſubducitur, in his etiam lac bis coquere, vel etiam fluviales lapillos in id conjicere oportet. Redduntur autem igne candentes, ut ſeroſum a lacte per ipſos diſſolvatur. At qui lac ſolum nolint aſſumere, etiam cum ptiſana, aut alica, aut chytro ipſum decoctum exhibeto: adhæc cum itrio, *hoc eſt libo ſiminali*, & ſimilagine, pari modo bis coctum offerto. Præterea magis adhuc illis lac exhiberi debet quibus etiam venter copioſiora & bilioſiora dejicere videtur. Procedente autem tempore, ubi febres mitigatæ fuerint, & vires aliquo modo inſtauratæ, molliſſimum & recentem caſeum ex eo coagulatum dare ipſis non alienum eſt. Quatenus enim vires augeri cernimus, eatenus nos quoque cibis adjiciemus.

De vino.

Vinum iis, qui frigidam ſiccamque intemperiem in ſolidis particulis habent, & maraſmo ex morbo (ut vocant) detinentur, exhibere neceſſe eſt, ut quos calefacere ſimul & humectare oporteat; quæ omnia vinum moderatum præſtare ipſis poteſt. Qui vero cum febri marceſcunt, præſertim qui macie torrentur, iis vinum dare cautio eſt: ut quod eis, ſiquid aliud, maxime adverſetur.

CAPUT V.

SI EX SYNCOPE MARASMUS OBTIGERIT.

Qui ex ſyncope maraſmo contabeſcunt, iis quantum ſane ad vires collapſas & perfrictionem frequenter comitantem attinet, vinum offerri debet: quoniam vero etiam caliditas naturæ contraria, febriſque præterea eis adeſt, & perfrictio quidem interdum conquieſcit, rurſus autem febris ſupervenit, ac ſummatim quum periculum ſit, ne alias aliter æger intereat, nunc a perfrictione, nunc a febri; neceſſe eſt tum demum ad urgentem cauſam reſpicere, ac nonnunquam vinum tempeſtive præcipere, nonnunquam vero rurſus id diſſuadere.

De teſticulis gallorum.

Teſticulos gallorum, *quos Græci* ὄρχεις *&* παραστάτας *appellant*, dare his oportet. Perpetuo enim

omnibus hectica laborantibus commodi exſiſtunt, quum abunde nutrire & vires augere poſſint, ubi probe concocti fuerint. Quapropter id alimentum ſemper exhibendum eſt, ubi vires nondum ad extremum collapſæ fuerint. Quod enim præſidium deinceps eſſe poteſt, ſi vires alimentum non concoquant, ſuperentque? Quippe nequaquam cibus vires augebit, ſed natura, quæ omne alimentum & concoquere, & mutare, & corpori apponere conſuevit.

De fructibus pomaceis.

Fructus pomaceus, *qui ὀπώρα Græcis dicitur*, qui ſane humectat, ideo hecticis cibus eſt accommodatus. Quoniam vero omnes propemodum, non ſolum humectare, ſed etiam refrigerare ſolent, idcirco rurſus dicendum non eſt, univerſim omni hectico convenire. Illis enim, qui calida & ſicca intemperie laborant, & omnibus qui maraſmo contabeſcunt & torrentur, congrue frigida & humida victus ratio adhibetur, maxime peponum medulla, & cucumerum: item mala duracina, & ceraſia his ſunt idonea. Qui autem frigida intemperie detinentur, & in ſenium ex morbo inciderunt, iis inutilia. Reliqui vero pomacei fructus, qui non adeo refrigerant, ſed potius calefaciunt, & humectant modice, exhibere non eſt abſurdum: nempe uvam maturam, valde dulcem, præſertim quæ paſſa eſt, ac malum valde dulce, & ficum admodum maturam, nam hæc probe concocta, propemodum nihil nocent.

Si igitur venter nihil nos impediat, plus juſto excernens, cum fiducia cibos commemoratos exhibeto. Si namque tale quippiam fuerit, & al-

vus magis quam convenit profluere videatur, his quidem abſtinendum in præſentia; dandum autem Punicum modice adſtringens, aut pirum, aut malum ejuſdem qualitatis, præſertim ante alium cibum; nam ſi a cibo ſumantur, alvum ſubducunt. Ac cibi, qui ſtomacho potius & cordi corroborando ſunt utiles, maraſmo ex ſyncope contabeſcentibus, & omnibus hecticis dari debent. Si hi quoque ſiti & vehementi febri laborare videantur, etiam ipſis fructus pomacei refrigerantes opportune offeruntur. Breviter, omnia ad id quod magis urget accommodari debent. Hanc enim rationem animadverſionemque obſervans, nunquam aliquem offendes, neque ſi pomaceum fructum, aut alium quempiam cibum exhibeas. Nam omnia quantitate, qualitate, tempore, ordine, & utendi modo, aut bene aut male adminiſtrantur.

De marcore, qui maraſmus Græce dicitur.

Si tabes, *quam Græci vocant* μαρασμὸν, revera humiditatis quæ in ſolidis partibus ſubſiſtit, abſolutus exſiſtit interitus, nullam medicinam recipit. Propter hoc igitur nonnulli medicorum merito decepti in diſcernendo, putarunt ſe verum maraſmum curaſſe. Etenim fieri poteſt, ut tenuitas carnium, macieſque, & veluti colliquatio earum reſarciatur: primariam vero humiditatem, & quæ ſolida ipſa nutrire poteſt, prorſus abſumptam perditamque non licet reſtituere. Sic enim ſenium quoque ſanari nequit, ut quod naturalis ſit tabes. Quemadmodum igitur ſenium nulla medicina tolli poteſt, ſic neque ea quæ revera tabes. Attamen propter humanum benignumque

artis auxilium, contendere cum morbis oportet, & non ceu deploratos omnino relinquere. Interdum enim, ubi quis naturam dextram nactus fuerit, & tabes incipiat, nondumque ſolidas partes torruerit, ſperatum ſucceſſum conſequi poterit: ſin autem minus, quanto magis æger affectus eſt, tanto minus agendum. Nam deſperatis, maloque victis, manus admoveri non debent.

CAPUT VI.

DE TERTIANA.

TERTIANA quidem facilis curatu eſt: quando autem a medicis illis, qui nulla ratione & via utuntur, male tractatur, non difficilis modo curatu, ſed etiam inſanabilis interdum redditur. Conſtat igitur, cibum humectantem refrigerantemque in omnibus eſſe præſcribendum, quum tertiana contemperamento pura & germana exſiſtat, & a ſola bile excitetur. Itaque ptiſanæ cremor ſuper omnia utilis ipſis cenſetur: atque hoc uſi nonnulli uſque ad criſin, *hoc eſt morbi ſolutionem*, optime ſuperſtites vitæ manſerunt. Sin autem minus oblectentur ptiſana, etiam avenæ cremor ipſis dabitur: ac lactucæ aut intybi caulibus utendum.

Quod ſi febris non fuerit vehemens, & quædam notæ concoctionis appareant, etiam gallinarum alæ, & piſciculus molli carne præditus concedi poteſt. Urinæ in his provocari debent, maxime apii radicis & adianti diluto. Nam anethi decoctum etſi urinas movere probe poſſit, vitare tamen ipſum magis oportet in germanis tertia-

nis, & in quibus calidius ſicciuſque temperamentum habetur: præterea ſi ægri ſollicitudine & vigiliis crucientur; nam in his omnibus offenſa major quam utilitas provenire ſolet. Abſinthii etiam decoctum maxime vitandum eſt, quando calidum & ſiccum ægri temperamentum habent. Novi autem ego etiam nonnullos colliquationem expertos, quod ſeorſim illud immoderatius aſſumpſiſſent, & non vitaſſent. Contigit enim, quorumdam ſane partes ſolidas ſicciores deprehendi, quorumdam vero bilem effervefcentem, non quantitate, ſed qualitate potius offendere: alium aut igneam intemperiem, aut inflammationem in ore ventriculi ſentire. In his itaque omnibus talia vitanda ſunt, & tepida liberaliori magis ante cibum utendum.

Nihil autem minus etiam in alio tempore potio exhibenda; quippe hæc humectat, fervorem refrigerat, meatuſque laxat. Quare ex his omnibus accidit, hanc quidem partem bilis per ventrem excerni, aliam vero per urinas, quæ antea detinebatur, & propter caliditatis fervorem, & propter nimiam decoctorum aduſtionem non potuit expurgari. Miror autem quomodo GALENUS, qui artem legitime, ſiquis etiam aliorum medicorum, exercuit, adeo indiſtincte ſcripſerit, ut dicat, exquiſita tertiana correptis, abſinthii dilutum a ſeptimo die propinandum eſſe. Ego vero falſis tertianis potius dedi, mixto ei oxymellis momento. Sic enim pituitæ miſcelam & citra noxam magis extenuat, & leviter purgat: ut non uſus veniat origani, aut hyſſopi, aut calaminthæ, aut pulegii; quæ omnia acriora ſunt, & valde periculoſa, crebroque febrim jam magis accendunt.

Hæc igitur univerſa vitare magis oportet, & tunc audacter offerre, quando pituita bilem longe ſuperaverit, & temperamentum ægri frigidius fuerit, vitaque otioſa præceſſerit, & alia omnia, quæ humorem frigidiorem ſuperantem efficiunt. Sin autem humor qui abundat, contrarius horum fuerit, tum his abſtinendum eſt: utendum vero illis potius quæ extenuant, & acceſſiones vehementiores fieri non cogunt.

De pomaceis fructibus.

Pomaceos fructus, *quos ὀπώραν Græcis appellari diximus*, exquiſitis tertianis liberaliter exhiberi convenit: nempe uvam dulcem, Perſica cocta & non cocta, peponumque medullam: præſertim autem, ſi etiam ægri ſiti vexentur. Ego ſane novi, me frequenter ægros, ne amplius acceſſione febris infeſtarentur, impediviſſe, quum pepones probe refrigeratos una hora ante incurſum morbi aſſumere juſſiſſem, & rurſus aquam temperatam copioſam, & quantam potuerint, peponi ſuperbibere præcepiſſem. Sequutus itaque eſt non multo poſt aquam epotam, aliquibus ſane ſudor, aliis copioſa bilis per alvum.

Offendi autem ego pleroſque Romæ medicos, qui ne nomen quidem peponum, tamquam bilem procreantium, proferre audebant. Quum itaque ego cuidam aliquando, & ſitienti vehementer, & æſtu flagranti, defatigatoque, injunxiſſem ut peponem aſſumeret, quidam præſens medicus exclamavit, Homo, cur ægrum magis vis occidere? annon didiciſti, quod pepo bilem producat? Lege GALENUM *de alimentis*, ubi dicit manifeſto, peponem comeſtum cholericos efficere.

Laboravi igitur ego non parum, ut iis perſuaderem, qui intellectu aſſequi poterant, GALENUM non dicere hic ipſos pepones bilem creare, ſed choleram efficere. Choleram autem vocabant, ſtomachi ſubverſionem cum vomitu, & perturbatione ventris; ac cholericos, quibus hæc accidunt: nam pepo revera habet aliquid ſtomacho contrarium. Quare etiam copioſior comeſtus vomitum, ventris perturbationem, & præterea perfrictionem, ac totius corporis convulſiones excitat.

At melopepo nihil horum facere cenſetur: non enim habet adeo quod ſtomacho adverſetur: imo neque pepo modice comeſtus. Proinde tertiana febri detentis cum fiducia dari debet, nec non iis, qui ardente febri, *καύσω Græce dicta*, & calida intemperie laborant, ſive in renibus, ſive in jecore, vel in ſtomacho, vel capite. Nihil enim ejuſmodi intemperiebus æque adverſari poteſt, debellare & evincere, ut pepo, aut qui dicitur melopepo; quomodo enim ea quæ refrigerant & humectant, bilem parere poſſint, non video. Ubi autem peponum facultas tibi deeſt, etiam cauliculi lactucarum refrigerati, & cucurbitæ, item cucumerum medulla, Perſica coctionem non experta, ſed in vaporem ſuſpenſa, & ab eo ſolo cocta, velutique condita, ſubſtitui poſſunt: eiſque & ſimilibus ſemper uti licet.

Jam in oleribus, & pomaceis fructibus etiam omnibus deligere oportet, quæ refrigerare queant, & humectare, convenienter ea pro uniuſcujuſque temperamento, & morbi magnitudine, accommodantes.

De balneo.

Balneum, ut maximum præſidium, ipſis præ-

bendum: maxime calido & ſicco temperamento præditis, & qui crebris uti lavacris conſueverunt: nec concoctio omnino exſpectanda eſt, ſed ubi ſiccitas urget, etiam ante concoctionem lavare convenit. Modus autem lavandi talis eſto: poſtquam æger in temperatum aerem ingreſſus fuerit, modice ſudarit, & tepidas aquas acceperit, ita oleo non modico perungatur. Quid enim corpus bile exardeſcens humectare aut refrigerare probe, præterquam aqua, poteſt? Præſtat igitur aquam tepidam admiſcere; ſic enim refrigerare & humectare magis, & in altum corporis penetrare percipitur.

Unctio autem adhibeatur non in domo, quæ calidum aerem habet, ſed in exteriorem ejus partem reverſo, quam etiam a molliendo *malacticen* appellant: deinde poſt illitionem hydrelæi, aut hydrochamæmelini. Nam ſi bilis multa, & præcipue craſſior ſit, non alienum eſt in vicem olei communis etiam chamæmelino uti, quod vim diſcutiendi multo habet ampliorem. Sed non diu æger in aere immorabitur, verum celerrimo tranſitu tantum uſus in tepidum calentis aquæ ſolium deſcendet, in eoque diutius ſubſiſtet. Egreſſus autem ex domo calida, monendus ut in aqua frigida immoretur: & ſi bene habuerit, etiam illi vinum indices: operimentis vero jam ſumptis, ut aquæ tepidæ quantum velit, parvo ſpatio interpoſito bibat, hortandus eſt. Nam a potione ſudores copioſos effundi videbis: interim vero etiam bilem per vomitum rejici, ut æger quamprimum ex iis quæ superveniebant, morbo fuerit liberatus.

Reverſus autem in domum, ſi pepo non adfuerit, aut alimentum quod diximus ſumat, aut

lactucarum cauliculos, aut cucurbitas, aut cucumeres, aut ptiſanam. Cæterum aquam tepidam non modo ſemel, ſed etiam bis & frequenter dare expedit, & nihil metuere. In hoc namque morbo aqua tepida maximum eſt præſidium.

Tentabimus autem in declinatione potius exhibere, & ante acceſſionem: interim vero etiam in acceſſione. Novi ſiquidem acceſſionibus ſubtrahi debere, ut diviniſſimus HIPPOCRATES inquit: ac verum eſt, quantum ad hoc attinet, etiam quum nihil urget. Frequenter enim cogimur propter cauſam urgentem, non tepidam modo aquam, ſed etiam cibum in ipſa acceſſione offerre. In illis autem hoc agendum eſt, qui immoderatum ſtomachi habitum & virium imbecillitatem habent, ut inſultus magnitudinem ferre nequeat, ſed ſyncopen minetur. Novi igitur ego in iis qui immoderate roduntur, tepidam me aquam propinaſſe: deinde vomitu oborto, & bile copioſiſſima excreta, iſtorum beneficio acceſſionem conquieviſſe. Ut autem illa aucta fuerant, ita etiam alia decreſcebant, & aqua temperata & bile evacuata.

Quomodo tertiana diſcernatur, germana ac verane ſit an falſa.

Tertianas illas germanas eſſe cenſendum eſt, quibus omnia quæ cognata dicuntur, conſenſerint: ætas dico, regio, conſuetudo, temperamentum, ſtudia, & victus ratio. Poteſt autem ſenex quoque tertiana infeſtari, quæ omnem tertianæ germanæ ſpeciem, omnemque modum conſervet. Ego ſane meis oculis hæc in ſene quodam conſpexi, qui flavam bilem vomeret, ſimiliterque

per alvum excerneret, vehementer febricitaret: atque idcirco acceſſio cum valido rigore eum invadebat, ac declinatio multis cum ſudoribus accidebat: detinebatur autem acceſſione horis fere decem, aut duodecim. Hujus alii ſane familiares, eo quod ſenex eſſet, decoctum ei bibere præcipiebant, ac omnia illa facere, quæ falſis tertianis (ut ajunt) idonea exſiſtunt: fereque interiiſſet æger decoctis ex hyſſopo, origano & pulegio aſſumptis, niſi quis ſubito ex periculo ipſum ſubtraxiſſet, jubens eum etiam pepones aſſumere, & lactucas, & ptiſanam, quæ nihil curioſum habent operoſumque, ac omnem alium victum, qui humectaret ac refrigeraret, ut in tertiana exquiſita, non deceptus ætate, quod ſenex eſſet, ſed potius toto temperamento. Habuerat enim jam inde ab initio igneam intemperiem, quam alii propemodum omnes poſtea ad amuſſim conſervabunt.

Quare naturam ægri & cauſas præcedentes maxime attendere oportet: nihil autem minus, imo etiam omnium maxime, febris ſpeciem. Ego autem neque tertianarum falſarum victus rationem in omnibus ut veram & utilem commendo, quam GALENUS in libris ad GLAUCONEM philoſophum præcipere videtur: injiciens omnino ptiſanæ piper, aut origanum, aut hyſſopum. Etenim hujuſmodi plerumque periculoſa ſunt, & febres vehementiores accendunt: idque magis adhuc ſi temperamentum corporis calidius inveniatur, & pituita mitior quam bilis, & quæ non adeo calefacientia requirat. Quippe ſatis erat in his uti & non multis valde refrigerantibus, & iis quæ ſenſim extenuare citra calorem poſſunt, qualis eſt radix apii expurgata, ut non particeps ſit

ſit radicularum: item ptiſana ſimiliter, interim adjunctum habens apium aut aniſum, aut comam porri, aut mellis, & aceti momentum.

Quod ſi non admodum in ſincera ac falſa tertiana fuerit, nullus horum uſus eſt: verum abunde eſt, ſola ptiſana per ſe uti, & id quod bilioſum eſt contemperare: quod pituitoſum, diſſolvere: non autem ſiccantibus compingere, ac cogere: quemadmodum ii factitant, qui piper & hyſſopum præcipiunt, eo quod illa videantur extenuare. Oportet autem diligenter animum advertere, cum qui humectante victu uſus ſit, ut quum humores ab illo diſſolutos viderit, ſtatim evacuandis eis extrahendiſque incumbat, medicamento exhibito, quod non magnam calefaciendi vim obtineat. Ejus autem generis multa ſunt, & quæ ex oxymelle ſimplicius parantur, & quæ ex ſucco roſarum modico, agarico, & ſcammoniæ lacryma. Quando igitur humores compendioſe ſubducendi ſunt? Nimirum quum diffundi jam eos & turgere tandem conſpexeris, ut diviniſſimus HIPPOCRATES ſcriptum reliquit.

Quomodo humores diffundi, diſſolvique, jamque ad excretionem incitari cognoſcatur.

Materiam ſubjectam temperato aut humectante victu diſſolvi inde cognoſces, quod quum per initia eſſet immobilis, nunc aliquo modo agitari incipiat, atque alias in alium locum deſcendere, interdum ad os ventriculi & inteſtina: alias etiam ad articulos aut cutem. Peritum igitur animadvertere hunc humorum motum, & obſervare diligenter oportet, & dare aliquid, quod eos ſub-

ducat, antequam oberrantes noxam intulerint, in partem aliquam nobiliorem decumbentes.

Verum vulgares medici nihil horum norunt, ut qui motiones humorum diſcernere non laborent; unde fit ut contraria faciant. Poſtquam igitur hæc viderint, ſtatim ad ea prorumpunt, quæ ſiccare humores & craſſos facere poſſunt. Atque hujuſmodi quidem adſtrictoria ſunt medicamenta, ſimilemque victum præcipiunt: unde accidit ut humores inde craſſiores redditi, neque purgantibus facile cedant medicamentis, neque obediant.

Convenit igitur, ut qui humores diſſolutos noverit, non modo ſemel exhibeat, quæ per alvum ſubducere poſſint: ſed etiam rurſus humectante victu uſi, & diſſolventes, ſiquæ ſiccæ & craſſæ reliquiæ ſubſint, iterum leviter expurgent. Ita enim humoribus modice ſubtractis, etiam ſolus victus morbum in totum evincere, mutare, & ad bonum ſtatum deducere poterit, ut nulla alia medicina indigeat. Quod ſi opus erit, licebit etiam epithematis ſimplicioribus uti, & ſuperfuſionibus, & quum concoctio adparere incipit, & longe antequam acceſſio exſpectetur. Ita namque erunt tum efficaciora, tum magna ex parte acceſſiones exſpectatas diſcutient. Quoniam autem purgantibus utendum eſt, ut ea prompte & compendioſe invenias, bonum eſſe duxi, etiam compoſitionem ipſorum hic adponere: in hunc autem modum habetur.

Rhodomeli purgans.

℞ Roſarum ſucci ſextarii duo, mellis ſextarius, ſcammoniæ torrefactæ uncia. Omnia ſimul co-

quuntur. Summus medicamenti modus eſt cochlearia quatuor, medius tria, minor duo. Hoc non ſolum tertianariis propinari debet, ſed iis etiam, qui lippitudine, & alio quodam modo, ex bile & calida intemperie ægrotant.

Aliud rhodomeli purgans.

Roſarum ſucci ſextarius; ſcammoniæ uncia, agarici drachma, piperis drachmæ duæ, mellis unciæ ſex. Ad ignem lentum coquantur; & ubi in craſſitiem coierint, adjicito ſcammoniam, agaricum, & piper: ac utitor. Datur inſtar cochlearium quinque aut ſex. Hoc ſolis convenit, qui falſa tertiana detinentur; habet enim nonnihil, quod etiam pituitam ſubducat, quum agaricum & piper receperit. Novi autem purgaſſe me etiam medicamento, quod corticem mali citrii reciperet, & eo quod ex malis cotoneis paratur; & horum penuria, ſola uſum ſcammonia. Quod enim ipſa non modo bilem, ſed etiam pituitam potius evacuat, manifeſtum eſt; ſiquis temperato & humectante victu uſus, pituitam diffundat, vacuabit hanc quoque ſcammonia, nec indigebit iis, quæ agaricum aut cucurbitam ſylveſtrem recipiunt. Quare etiam; ſiquis recto victu uſus falſam tertianam ſcammonia purgare velit, non delinquet.

Hæc quoque hactenus de tertiana breviter a nobis dicta ſunto. Non enim ſumus ignari, veteres quoque de his ſcripſiſſe; & nemo ea de cauſa culpandus erit. Quæ enim nobis quoque tempus, & longa experientia noſcenda obtulit, hæc æquum cenſui amicis & medicis ea nos poſtulantibus exponere; quæ quidem paucula exſiſtunt, ſed magnam vim continent. Nam methodi

M 2

prædictæ non in tertianis tantum, ſed in aliis quoque multis morbis accommodari poſſunt.

CAPUT VII.

DE QUOTIDIANA.

QUOD quotidiana febris ex pituita trahit originem, omnibus in confeſſo eſt: quippe neque acuta febris eſſe his adparet, neque ſitis valida urget, neque perurens quid & ſiccum habere ſub primo ſtatim contactu percipitur, ſed magis ubi manus diutius immoratur, caliditas fuliginoſa ex alto emergere deprehenditur: ac pulſus bona ex parte exigui & rari exſiſtunt: incrementum non velox, ſed longiore tempore detinet: ſudores qui in ipſis oboriuntur, nunquam purum oſtendunt intervallum, quale in tertiana aut quartana frequenter adparere videmus. Jam manifeſtius adhuc febris ſpeciem etiam ex præcedentibus cauſis cognoſces, ſi non obiter, ſed multa cum diligentia inquirere & examinare omnia coneris. Etenim cruditates plurimum, crapulæ, & balnei immoderati uſus, interdum jecoris quoque & ſtomachi perfrictio præcedit.

Hæc igitur eum attendere & diligenter conſiderare oportet, qui febris ſpeciem velit cognoſcere. Nam interdum indicia omnia ſimul adſunt, interdum non: quippe in germanis exquiſitiſque febribus univerſa prope inveniuntur, in falſis autem non omnia, ſed quædam ipſorum adſunt, quædam nom ſemper, propter varias ipſarum cauſas, quare etiam maxima diverſitas in curando deprehenditur. In hunc itaque modum internoſci

debent. Quin & diviniſſimus GALENUS, RUFUS, & plerique alii veteres de hac re copioſius tradiderunt. Nos autem deinceps etiam de curatione agamus. Nam curandi ratio ab illis prodita in quæſtionem aliquam vocatur, num videlicet vera ſit in omnibus.

De curatione.

Quod febris quotidiana, ut quæ ex pituita naſcatur, extenuantium incidentiumque uſum requirat, verum exſiſtit; ſi enim craſſa eſt & viſcoſa, extenuantibus indigebit. Duplex autem horum differentia eſſe cernitur: quædam enim inciſoriam vim obtinent, ita ut ſimul egregie calefacere poſſint: quædam autem incidendi quidem, non autem valde calefaciendi poteſtatem habent: quædam in totum non calefaciunt. Quibus igitur in hoc morbo uti oportet? iiſne quæ calefacere poſſunt, an illis quæ citra calorem extenuant? Videtur enim diviniſſimus GALENUS indiſtincte GLAUCONI philoſopho præcipere ut extenuantibus utatur. Conveniebat autem, meo judicio, quum maxima ſit differentia, diviſione ac diſtinctione uti, quibus in quo utendum ſit. Neque enim pituita hujus unde febris accenditur, unam habet ſpeciem: alia enim eſt ſalſa, alia acida, alia vitrea: utraque vero, frigida & craſſa: ac ideo quod partibus ſit impacta, febrim excitavit. Merito igitur etiam extenuantia ad curationem deſiderat: ſalſa vero non ſimiliter: ſiquidem & caliditas & ſiccitas hoc ei præſtat. Calidam autem ipſam quoque eſſe conſtat inde, quod inteſtinum rodat radatque, & graviſſima tormenta, *quas δυσεντερίας Græci vocant*, nihilominus etiam

quam bilis, (quum hujus quoque qualitatem receperit) ſuſcitet. Nam humores non ſecundum materiam ipſorum, ſed etiam ſecundum qualitates eis ſubjectas operantur; hæ ſiquidem adverſus ipſas pugnant, & operantur. Ac pituita ſalſa, etiamſi videatur humida, tamen conſtat facultate ſiccam eſſe, quemadmodum etiam aquam marinam. Jam alia multa imaginatione quidem ſunt humida, facultate autem ſicca. At quod pituita ſalſa nequit per ea quæ inflammant ipſam ſiccantque, extenuari quandoque & diffundi, ſed potius adhuc etiam craſſior effici, manifeſto hoc teſtantur nitrum, ſal, & jura ſalſa; quippe hæc caleſcentia, craſſiora redduntur. Nam id ab ARISTOTELE ipſaque experientia probatum eſt, ea quæ a calore coacta fuerint, non a calore, ſed a contrario diſſolvi poſſe. Hæc igitur etiam in corporis humoribus conſiderari debent: & ſi quidem ſalſi ſunt, non calefacientia, aut quæ admodum ſiccant, aut extenuare poſſunt, adhibere oportet; quæ vulgares in eis faciunt, raphani radiculam ipſis exhibentes, piper, ſalſamentum, capparidem, & decocta, quæ vehementer extenuant, & antidota quæ adverſus ejuſmodi offeruntur. Hæc ſane oportebat iis potius quotidianis, quæ a frigido atque acido humore provenerunt, imperare: quippe ab ejuſmodi adjuvantur.

Ego ſane novi crebro me omnia hæc in quotidiana, quæ a frigida humidaque & acida pituita incenſa fuit, obtuliſſe: in quibus autem ſalſum aut bilioſum quid admixtum fuerit, in his magna ex parte extenuans quiddam exhibuiſſe, præſertim ſi etiam ægri temperamentum calidius erat. Minime vero ejuſmodi medicamenta per initia morbi ægrotanti exhibere convenit, quum ſalſus

adhuc humor ſuperat præpolletque, & ægri corpus fuerit intemperatum. Sin autem etiam hujuſmodi aliquo uti oportebit, eo quod æger appetat, aut ut appetentia reſtituatur, temperato prius victu utendum erit: ac ubi concoquere æger incoeperit, tunc ei permittendum erit, ut aſſumat tum cibos, tum potus qui leviter extenuent & calefaciant, utpote apii turiones porrique, & piperis exiguum, vini momentum, ejuſque albi, idque non frequenter, nam uſus eorum liberalior noxius eſt.

Verum laborandum eſt, ut humores ad concoctionem perveniant, neque in vetuſtatem venire ſinendi, ſed purgandi. Quum enim in corpore diutius inſident, magis adhuc ab omnibus præſidiis quæ calefaciunt, videnturque extenuare, craſſi fiunt, ut non amplius ne medicamentis quidem ad purgandum efficacibus prompte cedant, quum difficiles ipſi ad motum, & terreſtres magis ab ipſis evaſerint. Noveris autem hanc ad purgationem eſſe opportunitatem temporis, & commoditatem. Frequenter enim urinarum notæ a præſumpto victu & temperata potione mutantur, atque tunc hujuſmodi urinas incoctas eſſe ab iis, qui id non noverunt, cenſeri videmus. At quia frequenter accidit, materiam in totum corpus diffundi, & alias aliter, aut per ſudores, aut vomitum, aut ventrem, diſſipari, ideo urinæ etiam ſedimenti expertes vulgo adparent.

Satius igitur eſt conſiderare & diſcernere, quando potius materia extenuari, diffundi, ad excretionem incitari, & ex loco in locum tranſire incipit: atque ita demum purgare oportebit, non ſolis urinis animum adhibentes. Verum univerſam purgationem adhibere non convenit, ſed per

vices & intervalla. Ita namque accommodari debet morbis, qui ex craſſioribus humoribus generantur, ac ſenſim extenuare & leviter purgare materiæ copiam oportet, quoad ſatis eſſe videbitur. Nam ſi æger aſſumat medicamentum, quod copioſius purget, magnam corpori intemperiem conciliat, & potius nocet quam juvat, magiſque in iis adhuc, qui calidiore temperamento & bilioſiore præditi ſunt.

Quando ſalſis utendum in quotidianis febribus.

Qui jecur aut os ventriculi habent refrigeratum, & acidam pituitam vomunt, tenenturque quotidiana, his, etiam calidioribus cibis, ſi voles, uti non alienum eſt. Humidus enim & frigidus ſtomachus univerſa extenuántia citra noxam tolerat. Auſus igitur ego quandoque ſum in quodam, qui quotidie febris acceſſionem experiretur, & pituitam vomeret, ſalſis uti, & piſce ſale condito, *qui Græcis* ἐγκατηρὰ *dicitur:* item hydrogaro, porri decocti jure, & vino aquoſo: ac mirifice convaluit: ita tamen ut & ori ventriculi, unguentis epithematibuſque ei extrinſecus adplicatis, & moderato totius corporis calore conciliato ei proſpexerim. Non alienum eſt, hæc quoque in quotidianis tentare, ac pituitæ qualitatem & quantitatem obſervare, atque in convenientem unicuique victum præſcribere.

Quemadmodum enim non una pituitæ eſt ſpecies, ita neque unam victus rationem eſſe oportet, ſed unicuique ſpeciei idoneam. Ac in omni medicina idem præſtandum eſt, & id quod unicuique congruum eſt & ſalutare quærendum eſt. Ut autem is, qui medicamenta quærit, prompte

ea poſſit invenire, & non aliunde cum antidota, tum purgationes colligere cogatur, expoſui hic diſcrimina, adjuncta etiam diſtinctione, qualia in quibus uſurpare potius oporteat.

De fomentis & cataplaſmatis.

Fomentis autem & cataplaſmatis per initia ſtatim uti feſtinandum non eſt, neque quum copia humorum in toto corpore ſuperat. Metus enim eſt, ne dum viſcera nimium incaleſcunt, laxanturque, confluxus quidam ad partes adfectas decumbat, & adaucta illuc inflammatione, præterquam quod nihil proficimus, magis etiam offendamus. Quod ii quoque faciunt qui, priuſquam totum corpus recrementis fuerit liberatum, cataplaſmatis & ſuperfuſionibus uti non verentur. Ego itaque novi etiam inflammationes quæ non erant, ob præcipitem ipſorum uſum ſupervenire.

Ne igitur officiamus, laborandum eſt copia jam imminuta, & quum jam concoctio quædam in urinis adparere incipit, calefacientia, aut laxantia, ſi uſus requirat, viſceribus inducere. Fugito autem fomenta, aut cataplaſmata, quæ laxare tantum & quæ repellere poſſunt, mixtam vero confectionem ipſorum parato. Et ſi quidem viſcera infirmiora & defluxionibus opportuna videantur, ægerque faſtidiat, adſtringentium & roborantium vires intendere oportet: ſin autem inflammatione aut dolore vexentur, laxantia potius. Summatim utriuſque (medicamenti tum laxantis, tum repellentis) vires pro cauſa urgente, & intendere & remittere convenit.

De ſtomachi imbecillis & mediocriter inflammatione laborantis, fomento.

Ad quinas vini partes miſceto omphacii quaternas, chamæmeli binas, & maſtiches momentum. Quod ſi inflammatio fervens adpareat, etiamſi gleucinum aut nardinum adjeceris, nihil nocebis, ſed plurimum quoque juvabis. Sin autem os ventriculi non infirmum æger habere, aut cibum non faſtidire videatur, loco vini decoctum fomento admiſceas, glandemque unguentariam, & fœnum græcum prius in illo decoquendum curato. Hanc quoque animadverſionem in cataplaſmatis ſervare ratio eſt, ut mixta in ipſis fiat curatio: & utrobique ſane anethinum, aut Cyprinum, aut nardinum cataplaſmati ſemper adjiciantur. At ſi acoris aut frigiditatis in ſtomacho ſenſus eſt, etiam in decocto in quo illa parantur, nardum Gallicam, abſinthium & anethum adjungere eis oportet.

Quum ſalſum humorem vomunt ægri, temperamento calidi, ſolum quoque chamæmelinum oleum adjicere ſemper, & maſtiches momentum inſpergere conducit. At tempus cataplaſmatum eſto hora ante acceſſionem, abſque plurimo potu, & impoſita non diu inhæreſcant. Quippe omnia, ſive fomentum, ſive cataplaſmata fuerint, etiamſi maxime ea quis ex medicamentis omnibus, quæ robur adferre poſſunt, adparare potuerit, tamen ſi diutius corpori incumbant, virium reſolutionem & imbecillitatem efficiunt. Tantum de fomentis, & cataplaſmatis dictum ſit. Si enim particularium quoque nonnihil prætermiſſum ſit, id ratione quis adinvenire poterit, ſi omnia conſideret, & animum ad id quod conducit intendat.

De purgatione.

Materia jam attenuata diffuſaque oxymelle, & aliis quæ in cibis extenuare ſolent, & decoctis & cataplaſmatis adhibitis, tunc demum ad purgandum eam venito, valde enim a vacuationibus adjuvantur. Non oportet autem univerſe ipſos purgare, ſed per vices, & ſimplicioribus: hinc demum aliquanto valentioribus. Quum enim materia ſit craſſa, haud facile iis cedit, quæ univerſam celeremque vacuationem præſtant. Agarici igitur ſcrupulos tres aut quatuor ex melle exhibito: interim etiam plus aut minus, pro ægrotantis virium ratione, & humoris qui ſuperat quantitate: quippe pituitam educit, nec morbum inveterari ſinit.

ALIUD. Et granum Cnidium, ſi poſt concoctionem datur, diuturnis quotidianis medetur. Adhæc catapotia, quibus ego ſemper & in quartanis & aliis affectibus uti ſoleo, bene faciunt in veſperam data. Habes ipſorum deſcriptionem alibi quoque proditam: hæc autem recipit; aloes unciam, cucurbitæ ſylveſtris uncias duas, ſcammoniæ unciam, euphorbii ſemunciam, veratri nigri corticis unciam, bdellii unciam, gummi unciam, nitri Alexandrini ſemunciam. Succo braſſicæ excipito, datoque ex eis ſcrupulos quatuor, aut quinque: nihil metuens aut torſionem, aut nimiam purgationem. Vacuant ſine omni moleſtia non modo pituitam, ſed etiam humorem melancholicum, eoque circuitus quartanos finiunt. Dato hæc catapotia, granorum inſtar figurata, in quibus multa cruditas, crapula & vita otioſa præceſſit, temperamentumque eſt pituitoſius, & quod

nihil ſiccum aut acre obtinet. Nam ejuſmodi ægris tuto dantur: & qui hæc aſſumunt, valde adjuvantur.

Aliud quod citra moleſtiam ſumitur, a ſale dictum Græcis halatium, admodum efficax.

Gingiberis, petroſelini Macedonici, epithymi, laſeris, cumini, apii ſeminis, liguſtici, ſingulorum unciæ quatuor: ſcammoniæ unciæ tres, & ſemis: ſalis communis & torrefacti unciæ quatuor.

Aliud, ut ſcriptura halatiorum habet, præſtantius.

Gingiberis ſemuncia, petroſelini Macedonici, epithymi, laſeris, apii ſeminis, ammeos, cumini liguſtici, piperis, ſingulorum drachmæ duæ: ſalis torrefacti unciæ duæ ſemis: ſcammoniæ ſeſcuncia. Dato veſperi in febrium intervallis, quandocumque velint. At ſi alvum emolliri velis, ſcrupulum unum dato: ſin autem id largius efficere, duos; & in viris robuſtioribus quidem ſcrupulos ſeptem exhibeto: pueris autem & mulieribus gravidis, & in ſumma imbecillis, ſcrupulos tres aut quatuor. Ita ſine omni moleſtia & periculo offerentur. Licet etiam cum pane dare, & ex poſca, & oleribus. Attamen præſtat in morbis, qui per circuitus revertuntur, cum ptiſanæ cremore ipſum præbere. Tantum etiam de purgationibus dictum ſit.

De antidotis ad quotidianas.

Styracis calamitæ, iridis Illyricæ, myrrhæ, ſingulorum drachmæ quatuor: opopanacis, pipe-

ris, galbani, opii, ſingulæ drachmæ. Hæc trita omnia in unitatem cogito, admiſcens eis mellis quod ſufficit: ac dato fabæ Ægyptiæ inſtar, ante acceſſionem in lecto decumbenti, perunctoque ex oleo & pipere granis decem: juxta vero appoſitæ ſint prunæ. Hoc ſomnum & ſudores excitat, levatque, præcipue eos qui multa cruditate ſcatent.

ALIUD. Agarici, gentianæ, ſingulæ drachmæ. Dantur cum mulſa ante acceſſionem. Hoc mediocriter extenuat, meatus infarctos aperit, & materiam per alvum & urinas moderate ducit.

ALIUD. Decoctum chamædryos iis, quos quotidiana febris circuituſve affligit, potioni dato. Urinas multas ducit, & levat; aptum ergo illis qui non valde febricitant, neque temperamento calido ſunt & ſicco.

Antidotum ad quotidianas, faciens etiam ad quartanas.

Opii, opopanacis, caſtorei, ſeminis dauci, ſingulorum drachmæ quatuor: lævigatis paulum mellis adjicito: viris obolos tres, pueris duos exhibeto. Utitor autem hoc tamquam admirabili ex mulſo hora ante acceſſionem, & præſertim in iis quos ſalſa pituita non urget, & quibus bene calidum ſiccumque temperamentum ineſt.

De unctione.

Unctione utemur ita, ut ad horroris febriſque magnitudinem & ægri vires reſpiciamus. Si namque multa perfrictione & horrore infeſtante, febris non adeo tibi vehemens adpareat, neque vires imbecillæ, ſed robuſtæ, magis utitor validis unctionibus, quæ externam cutem calefacere, ad

ruborem perducere & extenuare poſſunt. Si contra, neque vires validæ, neque frigus multum, ac febres vehementes fieri videntur, tunc iis utendum erit, quæ cutem modice extenuant, & rarefaciunt. Dicamus igitur de unctionum differentiis, hoc ipſum præterea diſtinguentes, quænam valentiora, quæ vero imbecilliora exſiſtant.

Unctio valida.

Pyrethro, pipere, & nitro, pari portione cum pulegii momento in unitatem coctis, & ex oleo contritis, ſummas corporis partes & ſpinam perungito. Sin autem frigus etiam in ea percipiatur, mirifica eſt unctio, & valde proficit vehementem perfrictionem morbique vetuſtatem expertis.

Alia mediocris.

Piperis grana tria, & micam thuris, in lævorem trita ex oleo illinito.

Alia. Nitro ex oleo trito ſummas ægri partes, ſpinamque, tum in balneo, tum extra illud perfricari jubeto; movet enim ſudores, & juvat.

Alia valde bona, & multis experimentis comprobata.

Artemiſiæ crocodiliadis, adipis crocodili fluviatilis, ſingulorum unciæ ſex: olei ſextarius. Coctis ex oleo, ægrum, & præſertim ejus ſpinam, ante acceſſionem ungito, ac miraberis efficaciam. Non abs re eſt etiam odoratum quid admiſcere, eo quod unctio ingrati ſit odoris, & contraria quadam ratione operetur.

Alia, in quibus febres vehementes urgent, & frigus moderatum adparet, efficax.

Spumæ lebetum in balneis effervefcentium, oleum, admiſceto, donec viſci craſſitudo fiat: ungitoque corpus antequam febris invadat. Idem naturaliter præſtat.

Naturalia quæ corpori adligari ſolent.

Lapis aetites cum ad alia plurima, tum ad rigores qui per circuitus revertuntur, & præſertim ad quotidianas facit, ſi corpori alligetur.

Aliud quod adpendi ſolet, multis experimentis a me probatum.

In folium oleæ ex communi atramento inſcribito, Ca, Roi, A. Capito autem folium oleæ ante ſolis exortum, & collo ſuſpendito.

Aliud naturale ad quotidianas.

Aranea bene facit, ſi linteolo illigetur, & ſiniſtro brachio adpendatur.

CAPUT VIII.

DE QUARTANA.

QUARTANÆ febris non una eſt ſpecies, ſed multiplices & diverſæ exiſtunt. Etenim alia ex flava bile nimium aduſta, alia ex fæcu-

lento ſanguine naſcitur. Non ſolum autem materia, ſed etiam loco, in quo conſtituuntur, invicem differunt: hæc enim in vaſis, illa in liene potius ſubſiſtit. Quoniam igitur diverſæ ſunt ſpecies, curationis quoque modos diverſos, & non unum (ſicut vulgares arbitrantur) eſſe oportet. Nam quæ ab humore melancholico creatur, merito calefacientibus humectantibuſque juvatur. Quæ vero ex nimia bilis aduſtione provenit, humectantibus & refrigerantibus, ut peponibus, uva, oſtreis, piſciculis, aqua, & breviter, concoctu facili & bonum ſuccum pariente victu, ac balneis tepidis tractari debet.

Mihi itaque frequenter ſubit mirari, quomodo diviniſſimus GALENUS in omnibus non alium quemdam victum, quam qui calefacere ipſos & ſiccare poſſit, præcipere videatur. Præbet enim ipſis antidotum *διὰ τριῶν πεπέρεων*, & quod *διοσπολίτης* dicitur: item liquorem Cyrenaicum, & theriacam: & in cibo, ſalſamentum & piper; hoc autem potiſſimum quotidie bibere juſſit. In univerſum præcipit abſtinere iis, quæ refrigerant & humectant: eo quod humor, inquit, morbum efficiens, frigidus exſiſtat.

Verum etſi humor melancholicus calefacientia deſideret, non tamen neceſſario etiam ſiccantibus indiget, ſi quidem frigidus eſt, & ſiccus; calefacientibus enim & humectantibus opus habebit.

At non videtur etiam humectantium aliquod prorſus velle præſcribere, ſed e contrario omnia quæ ſiccant aſſantque nimium, & humorem craſſiorem potius reddunt. Nam quæ videntur magis extenuare, quum ſint etiam paulo calidiora, quam ut mediocriter extenuent, poſtea humores terreſtres magis, & multo quam prius craſſiores efficiunt, dum

dum humiditatem, quæ in eis ſubſiſtit exſugunt, inſumuntque, ut natura ideo recrementa lentius excoquat.

Didicimus enim, concoctiones omnemque vitæ originem calido fieri & humido. Id quod etiam in externis videre licet; nam fructus & ſingulæ ſtirpes a pluviis & ſolis calore producuntur. Et præterea omnia, quæ præter naturam exſiſtunt, contraria ad curationem requirunt: quæ ſecundum naturam ſunt, ſimilia potius. Quare hoc eſt præſtantiſſimi medici officium, ut calidum quidem refrigeret, ſiccum autem humectet: frigidum calefaciat, & humidum ſiccet: in ſumma, ut ea quæ ſunt vitia ac affectus, contrariorum uſu evincat, ac omnia quæ res poſtulat, curioſe perſequatur: omnique arte & ratione, tamquam in bello decertans, ægrum conſervet.

Si quando igitur accidat, ægrum ſicciore quoque uti victu, vel quod adpetat, vel etiam quod ita laborans ſiccantia medicamenta aut cibos requirat, nempe hydrogarum, vel conditum, vel ejuſmodi aliquod præſidium, conſulo & tunc, ubi ſemel aut bis eo fuerit uſus, ac corpus modice incaluerit, rurſus ſtatim ad victum per initia inſtitutum, qui leniter humectare & calefacere poſſit, reverti. Ita enim neque ea, quæ calefaciunt, aſſumpta multum adeo nocere poterunt: & præterea humor, qui natura ad movendum difficilis & ſiccior erat, ab humectantibus facilius ſolvi poterit, ut ipſe remiſſus poſt diſſolutionem & quodammodo excerni incitatus a medicamentis, quæ benigne evacuant, citra noxam paulatim ſubtrahi queat. Etenim ſic agendum eſt in craſſioribus ſiccioribuſque humoribus, ac humectare ipſos & diſſolvere convenit: nec diutius

diſſolutio eorum exſpectanda eſt, ſed protinus ad purgationem ipſorum properandum: &, ſi adhuc res poſtulat, rurſus humectando, tum balneis, tum victu, ita ſubducere expedit.

De quartana, quæ ex nimia flavæ bilis aduſtione excitatur.

Quod ſi quartana non tibi a ſicco frigidoque humore, ſed potius bilioſo & plus ſatis aduſto excitari videatur, tunc potius refrigerare potentibus uti oportet: ſi quidem æger etiam natura calidus ſimul & ſiccus, ætate vigens, & frigidæ potioni aſſuetus adpareat: adhæc, ſi anni tempus ſit æſtivum. Interdum vero, ſi etiam curæ, vigiliæ, triſtitia, ira, & acrium medicamentorum uſus præceſſerint. Hæc enim omnia bilioſam & ex aduſtione nimia quartanam generare poſſunt. In his igitur non peccaveris, ſi potionibus & cibis frigidis utaris, ut peponibus, ſi tempus dederit, duracinis, intybis & lactuca, breviter non offendes, ſi omnia agas, quæ in germana tertiana tentaveris. Nulla enim alia ratione humor, qui a caliditate & ſiccitate inſpiſſatus fuerit, evinci poteſt, niſi quædam refrigerantia humectantiaque aſſumpſeris: quemadmodum etiam, quæ a frigiditate inſpiſſata ſunt, a calefacientibus.

Hæc igitur (ut diximus) univerſa calefacientia, etſi extenuare videantur, tamen inſpiſſant præterea. Quare in his offerenda non ſunt, ut quæ ejuſmodi humorem craſſum reddant magis quam extenuent, præſertim, quæ vehementius calefacere & inſpiſſare prædicantur. Quare neque in quartana cataplaſmatis aut ſuperfuſionibus, fomentiſque uti ſtudebimus. Quippe unctio ſola,

quæ ex copioſiore hydrelæo paratur, frequentius a balneo & cibis temperatis adhibita, calorem abunde contemperare ac lenire poteſt, & ſi quæ in jecore durities eſt, hanc quoque laxare. Sin autem res poſtulaverit, ipſo quoque ſolo potius uti oportet, vel etiam chamæmeli decocto, in quo abſinthii turiones, palmulæ pingues & melilotum deferbuerint.

Novi me in quartana etiam frequenter epithematis uſum, tempore quidem opportuno, ut in tertiana ante acceſſionem, ex farina hordei, lini ſemine, & decocto chamæmeli, ac multum profeciſſe, ut æger non amplius acceſſionem expertus fuerit. Præſertim autem in quartana, quæ ex nimia bilis aduſtione concitata erit, ac in pueris temperamento calidioribus, in quibus inflammatio quæpiam præcordia exercet, talia probari videntur.

At ſiquis etiam in frigida quartana (ſic enim appellanda eſt quæ ex frigido & ſicco humore melancholico excitatur) epithemate item calidiore ante acceſſionem utatur: hic item maximum adjumentum ſentiet, ut etiam ſubito febris conquieſcat, quamvis moleſtam acceſſionem ægrum experiri contigerit. Satius autem eſt, ſiquis etiam toto antea vacuato corpore, epithemate omnique alio particulari præſidio utatur. Qui enim toto corpore adhuc ſordido ac impuro, vel cataplaſmata inducere, vel perfundere aggrediuntur, hi inſignium malorum auctores fiunt. Cæterum quartanas ex aduſta bile conſiſtentes purgare decet, corpus prius humectando pleniore cibo, & quiete: quæ vero ob humorem melancholicum procreantur, humectare quidem eas oportet, (ſiccus enim humor ille exſiſtit), ob terreſtrem vero

ejus partem, & frigidam, tum calefacere, tum extenuare convenit.

Purgationem autem non per febris initia, ſed quum concoctio jam adparet, moliri debemus. Ita porro etiam, ſi ægrum ſanguinis vacuationem requirere cenſebis, ut ex quo humor melancholicus procreetur, poſt ſtatum hunc auferes, quando humor etiam a natura excerni ſolet, utpote concoctus. Sic autem natura levata, reliquias materiæ evincit. Quum igitur concoctio in urinis tibi adparet, medicamentum purgans, nempe quod ex rhodomelite conficitur, bilem & humores nimium aduſtos ſine moleſtia educens hoc præſtare debet. Habet autem ſe in hunc modum.

Purgatio ex rhodomelite.

Succi roſarum ſextarii duo, mellis ſextarius, ſcammoniæ torrefactæ uncia. Omnia ſimul coquuntur, danturque ad ſummum cochlearia duo, vel minus.

At ſi humor bilioſus non admodum calidus & ſiccus, ſed craſſior, a pituitoſo humore adulteratus eſſe videatur, paulum agarici prædicto rhodomeliti adjiciendum erit, atque in eum modum hic quoque leviter purgari debet: ut autem prompte componas medicamentum, pareſque, ſubſcribam ejus quoque mixturam, quæ ita ſe habet: roſarum ſucci libra, ſcammoniæ uncia, agarici unciæ quatuor, piperis ſcrupuli duo, mellis unciæ ſex. Ad ignem lentum hæc coquito, ac ubi in craſſitiem coiverint adjicito, ſcammoniam, & piper, atque utitor. Nam ſine omni adeo moleſtia vacuat, præterquam quod non multum calefaciat.

Purgatio quæ ex malis cotoneis paratur.

Mala cotonea octo impleto ſcammonia, cujus modus ſit uncia, & extrinſecus ea fermento oblinito, atque ſic aſſanda dato. Ubi aſſata probe fuerint, adjicito mel probe lævigatum, ac utitor pro virtum ratione, in febribus quartanis quæ a bile excitantur, & in iis, qui generoſam purgationem ferre nequeunt: atque in pueris magis & mulieribus; nam citra omnem prorſus moleſtiam purgat. Sin ipſum efficacius reddere voles, in iſtum modum parato: ſcammoniæ unciam, petroſelini Macedonici unciam, piperis albi unciam, agarici ſemunciam, ſucci cotoneorum uncias ſex, ſucci citriorum uncias tres, mellis libram. Dato inſtar unciæ. Succum cum melle coquito, atque ita pulveres lævigatos inſpergito, ac in pyxide recondito cum fiducia. Eſt enim præſidium in multos uſus accommodatum, ut quod non ſolum bilem, ſed etiam pituitam & humorem melancholicum repurgare probe poſſit. Atque idcirco quartanis quoque falſis exhibere licet; in illis autem magis, quorum ſtomachus affectus neque concoquere bene, neque adpetere cibum poteſt: necnon iis, qui quotidianis infeſtantur. Hac de cauſa variis in mixturis ad omnia præparare conducit.

De vomitu.

Vomitus omnibus utiliſſimus eſt, præſertim iis, qui humores craſſos in ore ventriculi continent. Nam craſſitiem extenuat, & ut concoquatur celeriuſque diſcutiatur efficit. Optimum autem tempus ad vomitum eſt, acceſſione inci-

piente: quoniam etiam tunc humores, quum materiæ moventur, & illi in ſtomachum confluunt, illumque rodunt, ita nauſeam excitant. Dato eis mulſam non nimis aquoſam: ita namque proclivius ad excretionem prorumpent. Qui autem valde lenti ſunt, & difficulter avelli poſſunt, ægrius excernentur. Ac pennis præcipue anſerinis utendum eſt, ut majori irritatu vomitus omnino proveniat. Si enim ex lentis humoribus aliquid surſum eductum fuerint, ſtatim etiam acceſſio minuetur, tum ſpatio temporis, tum ſimul mora ac conſuetudine. Ego enim novi me hoc modo inveteratas quartanas diſcuſſiſſe, ut nonnullæ ipſarum ſuperata jam deteriore parte conquieverint.

De ſalſamentis.

Salſamentis autem in quartanis nimirum, quæ ab humore melancholico excitantur, & in quibus ſtomachus vitioſis humoribus ſcatet, aut multa lienem urget obſtructio, utendum eſt. Maxime hic commendatur etiam encanthera dicta, & quæ Alexandrinorum buridia ſunt, mænomenia, & membridia. Oportet autem eum, qui horum aliquod aſſumit, aliquandiu ſitim tolerare, & nullam potionem ingerere, ut efficere quid poſſint, & vim ſuam corpori imprimere.

Deinde ubi ita viribus deſtituitur æger, ut ſitim ferre nequeat, tunc vinum Aſcalonites aut Gazites dilutum, quantum libet, propinare licet. Ego itaque novi quendam ex iis, qui quartana ex terreſtri & frigido humore laboraret, ita uſu hujus rationis victus liberatum, ut etiam per alvum humorem ſuperantem excreverit. Erat autem id quod excreverat adeo valde nigrum, ut

nonnullis medicorum metum incuteret, non modo ob colorem, ſed etiam propter copiam evacuatam. Verum quod æger paulo poſt morbum facilius ferre inceperit, & quod lien, qui antea maximus erat, paruns evaſerit, effecit ut omnes bene ſperarent, & nihil amplius metuerent.

Sciendum vero eſt, quod cibi enumerati, & quicquid abſtergere & extenuare mediocriter poteſt, etiam quum concoctio incipit adparere, humidioribus temperamento, frigidioribus & bene habitis dari debent. Etenim humores tunc magis & repurgantibus & extenuantibus prompte obediunt. Qui enim per initia, quum materia plane eſſet incocta, extenuantibus vel purgantibus uſi ſunt, hi præterquam, quod nihil eorum, quæ ſuperabant in corpore, vacuare potuerint, etiam ſicciores craſſioreſque humores effecerunt.

Si itaque talis ſit quartana, quæ a frigido & terreſtri humore concitetur, ita agere oportet: ſin autem a bilioſo humore, exuſto, & in cinerem redacto, provenerit, omnia contraria, quæ humectare aut refrigerare poſſunt, tentare convenit: balneum dulcis aquæ adhibere, & cibos concoctu faciles. In ſumma, quemadmodum diverſas habent ſpecies, ita quoque differentem ipſarum victum præſcribere oportet.

De antidotis.

Nonnulli veteres quartanariis etiam antidota dederunt, ac multas variaſque deſcriptiones ab ipſis proditas invenire licet. Quin & diviniſſimus GALENUS ea memoriæ prodidit: ſed nulla videtur uſus diſtinctione: unde plerique, quum eis quæ titulo ipſa promittebant perſuaſi, deinde non

exquiſita diſcretione exhibuiſſent, maximæ offenſionis & periculorum auctores exſtiterunt. Miror ſane, cur antidotum ex liquore Cyrenaico paratum, omnibus convenire dixerit, jubeatque frequenter eo uti. Atqui non videtur res ſic ſe habere; neque enim citra offenſionem quis ipſum hominibus calido, ſicco & bilioſo temperamento præditis, & in quartanam ex nimia aduſtione prolapſis, bibendum dederit.

Sed nec ea, quæ ex ſulphure vivo & pipere confecta ſunt, neque theriacæ antidotum dari debet; hæc enim univerſa iſtis adverſantur. Quare præſtat, eis, ſi fieri, poteſt, nullum antidotum exhibere: verum ſufficit, victu potius refrigerante & contemperante, necnon iis, quæ ſuperflua repurgant, frequentius uti. Sin autem antidoto interim uti cogaris, illa potius in quartanis ex aduſtione nimia ortis propinanda putes, quæ conſtant ex opio, cicuta, & alterco: item quæ urinam peovocare poſſunt, ita ut non valde calefaciant: idque in eis præcipue, quos vigilia & ſitis comitatur. Nam ſomnus ante acceſſionem obveniens, frequenter impedivit, ne acceſſio in totum oboriretur: aut effecit ut moderatior ea fieret. Porro ut antidota a me dicta facile inveniantur, neceſſarium duxi compoſitiones exponere, maxime illorum, quorum etiam antea in quartanis, quæ ab humore melancholico excitantur, multam habui experientiam.

Antidotum ad quartanas, quæ ex humore melancholico conſtituuntur.

Caſtorei, papaveris, myrrhæ, piperis albi, liquoris Cyrenaici, ſingulorum drachmæ quatuor,

Liquorem lævigatum, & aqua maceratum reliquis adjicito, fingitoque catapotia, & dato ante acceſſionem jejuno, aut cœnato, ex aqua. Præſtat, ſi ægrum ipſum etiam perungas, nempe oleo calido, quod nitrum admixtum habeat.

Aliud, etiam ad quotidianas efficax.

Opopanacis, opii, caſtorei, alterci ſeminis, ſingulorum drachmæ quatuor. Lævigatis paulum mellis admiſceto, datoque adultis quidem dimidiæ drachmæ inſtar: pueris autem, hora antequam invadat acceſſio, obolos duos.

Aliud ad quartanam.

Liquoris Cyreniaci, piperis, myrrhæ, rutæ foliorum, ſingulorum drachmæ quatuor. Detritis, probeque mixtis ante acceſſionem ex oxymelle utitor.

Antidotum achariſton, quod facit ad multos interiores affectus, præcipue vero ad quartanas.

Croci uncia, opii unciæ ſeptem, galbani unciæ ſeptem, caſiæ unciæ tres, ſtyracis unciæ ſeptem, myrrhæ unciæ quatuor, caſtorei unciæ ſeptem, coſti unciæ tres, piperis unciæ quatuor, ſpicæ nardi unciæ ſeptem, mellis deſpumati quod ſufficit. Datur fabæ Ægyptiæ inſtar ex mulſa ante acceſſionem.

Antidotum, quod & ipſum mirifice ad quartanas valet.

Styracis exquiſiti drachmæ quatuor, myrrhæ

drachmæ duæ, opopanacis drachmæ quatuor, iridis ſeſquidrachma, piperis drachmæ ſex, galbani drachma, lacrymæ papaveris drachma. Datur fabæ Ægyptiæ inſtar melle exceptum, hora ante febris acceſſionem.

De Paſtillis.

Paſtillus inſignis admodum ad quartanas. Opii veteris, rutæ foliorum, ſingulorum drachmæ duæ: croci drachma, alterci foliorum drachmæ duæ. Contuſa, increta, lævigataque in paſtillos redigito, qui ſinguli ſcrupulos duos pendant. Ac dato horis duabus ante acceſſionem ex poſca, pro ægri virium ratione.

Paſtillus alius, bene faciens admodum ad quartanas.

Piperis albi, ſeminis dauci Cretici, pares portiones. Contuſas incretaſque, ante acceſſionem ex multa aqua calida cochlearii menſura dato. Hoc pleroſque, quum ſimplicius ſit, adjuvit quartanarios.

Paſtillus alius præſtantiſſimus, ut nullus alius, ſuccurrens curanſque celerrime: elicit enim ſudores, atque ita morbo diuturno ægrum liberat.

Opii drachma, piperis longi, caſtorei, ſingulæ drachmæ. Mulſa conformentur. Dato ſingulis obolum ex oxymelle lotis, & in lecto repoſitis. Hoc multos ſudores evocat, & magna ex parte bis aut ter ponum, liberat. Hæc omnes validæ ſunt antidotorum vires, ad calefaciendum & attenvandum efficaces. Quare etiam quartanis potius (ut diximus) conveniunt, quæ melancholico &

terreſtri humore excitantur, adulteranturque a pituita. Non autem continue, ſed per longa intervalla exhiberi debent, nam liberalior eorum uſus, humores multo adhuc ſicciores craſſioreſque efficit. Tutius autem dantur, quum concoctio jam apparuerit, & vires ſunt robuſtæ, ac ægri multam ad hoc inclinationem habent, qui & a nobis medicamenta ſumere conſueverunt, & nos pharmaca ſibi offerre compellunt.

Sunt enim nonnulli non modo barbari, ſed etiam alii plerique, opinione ac ratione aliena præditi, ut etiam ſecari urique præ omni medicina malint: ac eos qui hæc faciunt, ſcire aliquid arbitrantur, invitantque ſtudioſe in ædes ſuas: & præſtantiores hoſce medicos cenſent quam qui victum præſcribunt. Si igitur noſtrum aliquis dare quid eis cogatur, qui calido ſiccoque temperamento ſunt, & ex nimia flavæ bilis aduſtione quartanam experiuntur, illa offeret antidota, quæ vim non adeo acrem & calidam poſſident, ſed quantum licet hac vacant: & ſi fieri poterit, refrigerantia potius, & ad ſomnum inducendum, ſenſimque extenuandum efficacia obtinet; qualis eſt etiam Xenocratis paſtillus, cum ad alia pleraque utilis, tum vero eximie & ad quartanas & ad tertianas. Deſcriptio ipſius in hunc modum habetur.

Paſtillus ad quartanarios ex nimia flavæ bilis aduſtione.

Seminis papaveris hortenſis, lacrymæ papaveris, ſingulorum ſcrupuli duo: alterci albi, ſucci dulcis radiculæ, ſingulorum ſcrupuli ſex: ſtyracis, aniſi, ſingulorum ſcrupuli quatuor: croci, caſtorei, corticis mandragoræ, ſingulorum ſcru-

puli tres. Arida contuſa, incretaque, ſucco, ſapa, vel paſſo Cretico veteri excipito, ac utitor cum fiducia, in iis præcipue, quos vigilia comitatur, quibus alvus profluit, os ventriculi fluxione laborat, & dolor colon exercet.

Aliud ſimplicius.

Decoctum ſcorpiuri herbæ mirifice prope omnibus auxiliatur, ſi ante acceſſionem bibatur. Juvat enim non modo ratione naturali, ſed etiam quia materiam per alvum & vomitus educit.

De lapide armeniaco.

Lapis qui Armeniacus dicitur, ſive lotus, ſive illotus offeratur, quatuor ſiliquarum pondere mirabiliter ad omnem quartanæ ſpeciem valet. Nam humorem melancholicum, ut nullum aliud præſidium, evacuat; ſed lotus quidem aqua, per inferiora magis purgat: illotus autem, per vomitiones citra calorem, non quemadmodum alia. Si vero nonnulli lapidis potionem odio habuerint, in catapotia redigito, his medicamentis eis adjectis: aloes ſcrupuli quatuor, epithymi ſcrupuli tres, agarici ſcrupulus, lapidis Armeniaci ſcrupulus, caryophylli grana quinque, ſcammoniæ ſcrupuli quinque. Excipito ſucco citrii, aut crocomelo, aut rhodomelo, aut rhodomelite. Dantur ſcrupuli duo.

Proficiunt etiam catapotia ex epithymo abſque ſcammonia. Habent autem ſe in hunc modum: abſinthii ſucci drachmæ quatuor: medullæ cucurbitæ ſylveſtris drachma, aloes drachmæ duæ, maſtiches drachmæ tres, epithymi drachmæ duæ.

Dantur noctu catapotia. Bene faciunt etiam ad ſpurias quartanas, quæ paulum quoque pituitæ habent admixtum.

Aliud antidotum mirificum ad multa efficax, maxime vero quartanis.

Vetuſtum capitis dolorem finit, vertiginoſumque affectum, comitiales acceſſiones & vigilias ſopit: inſaniam, *quæ μανία dicitur*, ſedat: magnos oculorum dolores lenit: fluxionem doloremque dentium diſcutit: ſpirandi difficultatem, omnemque aſthmatis cauſam abigit: tuſſi vetuſtæ, peripneumoniæ & pleuritidi medetur, tum ſiccæ, tum humidæ: omne a pulmone humiditatis vitium diſſipat: ſputa tenuia mitigat, & eductione paratiorem ex hydromelle potum efficit. Sin autem quis ſanguinem ſpuerit, ex oxymelle, aut poſca, aut polygoni ſucco aut plantaginis drachmarum duarum inſtar dato, pro ægri viribus ponderi paulum quiddam adjiciens, aut detrahens.

Cæterum hoc antidotum ſtomachi eſt præſidium. Nam ex humiditate flaccidum, imbecillemque adſtringit & firmat, ciboſque ob vomitiones non continentem roborat; verbo, omnes ventriculi inflationes per ructus diſcutit, punctorios jecoris dolores mitigat, & arquatis morbis auxiliatur. Nam unamquamque partem ad priorem naturam revocat, & atræ bilis morbum, quæ melancholia dicitur, diuturnum & turbulentum, vigiliaſque levat: lienis gravitatem ſubtrahit, & faciei colorem reſtituit; pituitam, bilem per inteſtina detrahit: caliditatem inteſtinis partitam ſuggerit, diſtributionis meatus apperit, urinas ſegregat; & veluti renes invadit, atque ita ex eis tum are-

nas, tum ſanguinis grumos ad veſicam propellit: renibus ac veſicæ medetur: urinæ difficultatem reprimit. Omnibus porro prædictis affectibus potu aſſumptum opitulatur. In ileoſis autem morbis & cœliacis hæc potio veluti viam præparat, inveteratum ſtercus ſubducit, vetuſtamque inflammationem reſolvit, tormina lenit, diſtenſionem vaſorum remittit, & quietem inducit, non veterni more, ſed ſomno conciliato.

Qui igitur per os id aſſumere nequeunt, his injicito per alvum cum fœnigræci ſucco: & dolore liberat. Jam plurimum auxiliari poteſt uteri (ut ajunt) calamitatibus. Quippe dolores quoque ex partu ſolatur, & vigilias moleſtiſſimas imminuit: elationem diſtenſionemque uteri mollit: morboſam purgationem reficit, recreatque, & anguſtos vaſorum meatus dilatat: ſanguinis in uterum profluvium acutius magiſque ſubitum, non modo potu reſtringit, ſed etiam vino calente in ipſam infuſum ſiſtit. Item vocis abſciſſionem, & nervorum contorſiones potu mitigat.

Utimur eo in articulariis, & podagricis, ac plurimum id opitulari ægris compertum eſt. Maxime vero invenias medicamentum vim iſtam in virulentis, non modo ſi per os exhibeatur, ſervare, ſed etiam ſi locis oblæſis illinatur, proficere. Ac in vehementibus periculis utroque modo antidoto utendum eſt. Itaque non ſolum in continuis febribus ardentibuſque, & colliquantibus, *quæ συντηκτικαὶ Græcis dicuntur*, ex aqua vel mulſa ſumitur: ac maxima titulus ejus promittit.

Datur ægris drachmæ inſtar hora una aut duabus ante acceſſionem. In quartanis autem copioſiore utor medicamento, eo quod diuturnius ma-

lum inhæreat, & ægre refici poſſit. Qui medicamentum hoc donavit, incomparabile ipſum eſſe aſſeverabat.

Hæc eſt ipſius compoſitio; myrrhæ ſcrupuli ſeptem, ſpicæ nardi ſcrupuli tredecim, croci ſcrupuli quindecim, caſtorei ſcrupuli quatuor, opii ſcrupuli octodecim, amomi ſcrupuli quatuor, aniſi ſcrupuli decem, petroſelini Macedonici ſcrupuli quindecim, apii ſeminis ſcrupuli duodecim, junci quadrati floris ſcrupuli novem, caſiæ Ægyptiæ ſcrupuli quatuor, piperis albi ſcrupuli quatuor, piperis nigri ſcrupuli quindecim, ſiſonis Syriaci ſcrupuli duodecim, ſtyracis ſcrupuli ſex, ſeſelios ſcrupuli quatuor, hedychroi magmatis, *id eſt fæcis*, ſcrupuli quinque: mellis deſpumati quod ſatis eſt. Styracem dilatatum melle ſolvito, arida ſuper inſpergens: opium vero ex ſapa macerato, donec mellis fiat ſpiſſitudo: atque ſic reliquis adjicito.

De balneis.

Sciendum eſt, balneis quoque ſic utendum eſſe, ad unamquamque ſpeciem reſpiciendo: calidioribus quidem, in iis quæ ex humore melancholico excitantur: temperatis autem potius, in illis quæ ob nimiam humoris bilioſi aduſtionem proveniunt, adhæc exercitiis ſimiliter, & frictione, ſed minus in calidioribus.

De unctione.

Præterea unctio interdum quidem adhibenda eſt ex oleo Cyprino, aut gleucino in frigidioribus: chamæmelino autem, vel oleo dulci, aut hydrelæo in calidioribus. In ſumma, pro varia

hujus ſpecie, diverſa quoque curatio adhibeatur. Frictionem autem, ut maximum præſidium (ſiquid aliud) adhibere convenit, nunc copioſiorem, nunc pauciorem.

Satis igitur ſunt & dicta jam remedia, & univerſa victus ratio, ſiquis omnino perſeveranter uti velit, diuturnæ quartanæ medebitur. Quoniam vero nonnulli negligentes metuunt, ne morbus diutius moretur, & multis corripiantur acceſſionibus, omnibus deſiderant uti, & naturalibus ſimul, & iis quæ alligantur, neceſſarium duxi propter hujuſmodi homines hæc quoque exponere, ſiquid a nobis ex longo temporis uſu & experientia cognoſci potuerit.

Medicamentum quod appendi ſolet ad quartanas, ſæpe a nobis multis experimentis comprobatum.

Scarabæus quartanarios curat: oportet autem ipſum vivum extrinſecus fulvo linteolo firmiter alligatum, collo ſuſpendere; dicunt autem hoc ipſum præſtare, ſi ita appendatur. Eſt hoc quoque verum, uſu multo compertum: lacertam viridem appendito: item ex unguibus ægri, tum manuum, tum pedum, exiguum præciſum (ſicut facere ſolent, quibus ungues præciduntur) rufo panniculo injicito, & in eo firmiter illigatum ita appendito, ac rurſus appenſam ipſam reſolvito, unde etiam capta fuerit. Referunt quoque, ſiquis ex gena hirci pilos acceptos ægro adalliget, mirabiliter quartanæ poſſe mederi.

Omnium vero naturalium medicorum teſtimoniis confirmatum eſt, ſanguinem qui primus a virgine fuerit excretus naturaliter, quartanæ adverſari: ſimiliter etiam corruptæ ſanguinem efficere, ſiquis

ſiquis ipſum ægro ad brachiale dextræ manus, aut ad ejuſdem brachium alliget. Novi ego quendam, qui hac ratione utens quartanam curaverit: dabat mulieri parienti pallium ægrotantis ferendum, quod ille interius ferebat, illotum, & jam perſpirabile: poſtea a partu pallium recipiens, ægro ferendum rurſus præbebat. Ac quartana non amplius in poſterum affligere, mirabiliter contrarietate quadam, & ratione arcana deprehendebatur.

Ex libris Aetii *de eryſipelaceis viſcerum affectibus.*

Eryſipelaceus affectus nonnunquam viſcerum alicui oboritur, qui febrim ardentem & hecticam inferat: & ſi quidem eryſipelas ventriculum obſideat, hinc febris inceditur, *quam* λειπυρίαν *Græci nominant:* ſin autem jecur infeſtet, *typhodem:* ſi pulmonem exerceat, *crymodem.* Hujuſmodi vero febris primum refrigerantibus & humectantibus tum cibis tum potibus, & iis, quæ exterius imponuntur, indiget. Quoniam igitur hectica febris alteri morbo non eſt commixta, balneum requirit, quemadmodum etiam alii omnes calores & ſiccitates.

Quod ſi eryſipelaceus affectus viſcera urgeat, abſtinendum quidem balneo in totum, frigida autem in morbi vigore ſtrenue utendum eſt. Ita nominare conſuevimus, quum una vice & frigidiſſimam & multam dederimus. Verum ante ſtatum frigida non utemur, niſi ab ægro, qui & frigidæ potioni aſſueverit, & ſitim ferre nequeat, coacti fuerimus. Extrinſecus igitur imponi debent, quæ refrigerant; &, ſi nihil proficiunt, tunc etiam frigidam potionem dare, aut potius cibos refrigerantes oportet. Maxime omnium conveniunt te-

neræ & dulces lactucæ: eluantur autem liberaliore aqua frigida. Optime quidem ita ſumptæ proficiunt: quoniam vero inſuavitatem ipſarum, ſi ita ſumantur, gratiorem nonnunquam reddere coacti ſumus, aceto copioſiori aquæ frigidæ mixto, intingere illas permittemus. Acetum autem ſit tale, quod ab omni vitioſa qualitate prorſus receſſerit.

Extrinſecus etiam ipſæ lactucæ ſuccus accommodari poteſt: imo & ſempervivi, & ſeris, portulacæ, atriplicis, ſolani & plantaginis, cum pane ſicco trito, & modico roſaceo bono, ſimilibuſque refrigerantibus. Præſtantiſſimum quoque eſt, quo nos utimur, ex uvis acerbis, & rhoe. Humorem enim ipſorum expreſſum in pilam cum portulaca viridi conjicimus: deinde contuſum exprimimus, & conjecto in vas liquore, & orificio exacte obturato, vas in aquam frigidam mittimus: præſtaret autem, ſi vas etiam nive obduceretur. In uſu miſcemus polentæ hordei tenuiſſimæ: deinde maceratum, ut liquidius ſit, linteo duplici illinimus, imponimuſque præcordiis, ita ut non diu ſinamus inhærere: ſed poſtquam tepidum evaſerit, hoc quidem tollentes, alterum imponamus, idque perpetuo conſequenter facientes, donec æger altas corporis partes quodammodo refrigerari ſenſerit, & ſiti minus crucietur. Miſcemus autem nonnunquam etiam oleum omphacinum, & roſaceum, ubi eryſipelas inflammatorium præcordia torſerit. Atque hæc ſane de febrium curatione abunde dicta eſſe arbitramur.

LIBER
RHAZES
DE VARIOLIS
ET MORBILLIS.

In nomine Dei ſumme miſericordis.

LIBER
DE VARIOLIS
ET MORBILLIS.

PRÆFATIO.

DICIT Abu Beker Mohammed filius Zæchariæ.

Accidit olim quadam (*a*) nocte in conſeſſu *apud* virum generoſum, optimum, egregium, intentum ſcientiis utilibus inveſtigandis & explanandis, mentionem ab illo factam eſſe vario-

(*a*) *Nycthemeron* Gol. Gig. Meninski.
Bevereg inſtitution. Chronologic. pag. 73. [4°. 1669.] --
„ Porro tempora ſua non per dies, ſed noctes ſupputant
„ [*Arabes*]: non enim dicunt prima vel ſecunda die, ſed
„ nocte menſis cujuslibet: nec tot diebus ſed noctibus quip-
„ piam actum fuiſſe, ut inter legendos ſcriptores Arabicos ſæ-
„ pius animadverti".

larum. Ipſe vero protuli eadem (*b*) nocte *quæ* mihi in mentem venerunt. Voluit autem ille vir (Deus donet homines prolongatione reſidui vitæ ejus) ut componerem tractatum de hoc morbo, idoneum, ſolidum, ſufficientem: quia talis non invenitur, vel ab uno ex antiquis, vel recentioribus, *ſcriptus*, ad hoc uſque tempus, loquens concinne, vel ſufficienter. Compoſui igitur hunc tractatum, ſperans remunerationem Dei Potentis, Glorioſi, & exſpectans beneplacitum ejus.

Hic vero eſt modus conaminis mei in illo, & capita ejus.

Caput I. De cauſa variolarum, & cur fiat, ut has non effugiat, niſi unus & alter ex hominibus.

Caput II. De enumeratione corporum diſpoſitorum ad variolas: enumeratio etiam anni tempeſtatum, in quibus variolæ plerumque abundant.

Caput III. De ſignis indicantibus in promptu eſſe æſtuationes variolarum & morbillorum.

(*b*) Arab. *quæ mihi præſentia fuere.*

Caput IV. De enumeratione accidentium regiminis variolarum, in genere.

Caput V. De præſervatione a variolis antequam ſigna earum adparuerint, & prohibitione ab abundantia earum, poſtquam ſigna earum adparuerint.

Caput VI. De illis quæ accelerant puſtulas variolarum & adparitionem earum extra: & opitulantur naturæ in hac re.

Caput VII. De cura oculi, & gatturis, & articulorum, & auris, & quid neceſſarium ſit curari in illis, quando adparent ſigna variolarum.

Caput VIII. De rebus, quæ accelerant maturitatem earum variolarum, quæ maturari queunt.

Caput IX. De deſiccatione illarum ex variolis, quæ maturantur.

Caput X. De illis, quæ auferunt cruſtas variolarum (*Arab.* cortices) & eſcharas.

Caput XI. De illis, quæ auferunt (*c*) veſtigia variolarum ab oculo, & reliquo corpore.

(*c*) Gr. *τας λεπισας και εσχαρας.*

CAPUT XII. De regimine alimenti, ejus qui variolis laborat.

CAPUT XIII. De regimine alvi ejus qui variolis laborat.

CAPUT XIV. De ſanabilibus, vel lethiferis variolis.

CAPUT PRIMUM.

De cauſa variolarum. Quare fiat, ut has non effugiat, niſi unus & alter ex hominibus: ſumma etiam eorum, quæ de variolis memoravit GALENUS.

ILLE profecto ex medicis qui dixerit, præſtantiſſimum GALENUM nec variolas memoraſſe, neque noviſſe omnino, ex iis eſt, qui ſcripta GALENI nunquam legerunt, vel folia tantum volutando per illa tranſiverunt. GALENUS etenim præſcriptum exhibet in tractatu primo (*a*) *Κατα γενος*, & dicit, "juvat quidem „ hoc & illo modo, & contra variolas".

Dicit etiam in initio tractatus decimi quarti de pulſibus (*b*), prope primum folium ejus, — „ ſanguis aliquando putreſcit putreſcentia vehe„ menti valde, & eo perventum eſt ab exceſſu „ inflammationis ejus, ut uratur cutis, & eve„ niant in illa variolæ & anthrax excorians, „ adeo ut ab illis erodatur".

Et dicit, in nono de uſu partium, "partes „ redundantes alimentorum quotquot in ſangui„ nem non convertuntur, ſed remanent in mem„ bris, putreſcunt, & in molem creſcunt in pro„ greſſu temporis: adeo ut tandem generetur

(*a*) Κατα γενος —— Vide GALEN. *περι συνθεσεως φαρμακων των κατα γενη.* —— *εϛι δε και τοιϛιονθοις το φαρμακον χρησιμον.* Edit. ALDI, Tom. II. fol. 6. lin. 5.

(*b*) GALEN. *περι προγνωσεως σφυγμων βιβλ. β.* fol. 67. 6. à lin. 37 ad 43. Edit. ALDI, Tom. III.

„ anthrax, & variolæ, & *inflammationes proſerpentes*".

Et dicit, in quarto ad TIMÆUM, "Anti- „ qui porro nomen φλεγμονη dederunt omni rei „ in qua calor inflammatur": uti ex. gr. anthraci, & variolis: & hi morbi, ſecundum illos a bile geniti ſunt.

Atqui ille qui dixerit, illum [GALENUM ſc.] non memoraſſe earum curam particularem neque ſufficientem, nec cauſam ſolidam, profecto verum loquetur. Ille etenim nihil de hoc morbo tradidit præter hæcce quæ memoravimus. Per Deum! ſed fieri poteſt, hæc etiam illum memoraſſe in libris ſuis qui nondum Arabice prodierunt (*c*). Me quod attinet, ipſe inquiſivi jamdudum, accuratiſſima inquiſitione, interrogans (*d*) lingua Syriaca & Græca utentes *medicos* de hac re: at inter illos ne unus quidem fuit, qui mihi aliquid addidit his, quæ ex illo memoravi. Imo plerique eorum non noverunt, quid per iſta GALENUS voluerit, quæ diſtincte memoravi. Ipſe profecto de hoc miratus ſum, & quomodo GALENUS præteriverit hunc morbum, tam frequenter oborientem, tamque cura egentem, ille qui in cauſis & cura morborum inveſtigandis ita fuerat aſſiduus.

Recentiores quod attinet: etiamſi de curatione

(*c*) *Arabice prodierunt.* Hinc veriſimile eſt RHAZEN verſionem GALENI conſuluiſſe, ubi ιονθοι, vel φλεγμοναι, vel ἑρπητες, per vocem *Arabicum quæ variolas ſignificat*, reddebantur; atque inde ortam eſſe opinionem, hunc morbum GALENO notum fuiſſe.

(*d*) *Arab.* familiam linguæ Syriacæ & Græcæ.

variolarum (*e*) aliqualis ab eis facta ſit mentio, nec accurata neque diſtincta; nihilominus ex iis ne unus quidem eſt, qui memoravit cauſam ejus morbi efficientem, & quare eveniat, ut illum vix effugiat vel unus mortalium; nec tradidit ſpecies curationis ejus in locis ſuis. Propterea igitur, ſperamus, remunerationem illius viri, qui nos ad hunc tractatum componendum excitavit, & noſtram pariter, fore duplicatam: quemadmodum memoravimus curam illi neceſſariam, atque in locis propriis diſtribuimus. Volente DEO.

Exordiamur nunc igitur memorando cauſam efficientem hujus morbi, & cur fiat, ut vix ullus mortalium illum effugiat: deinde reliqua quæ huc pertinent, ſectione poſt ſectionem: & in ſingulis dicturi ſumus, ea ratione quæ nobis ſufficiens videbitur. Cum auxilio DEI.

Dico igitur, hominem ex quo natus eſt, ad ſenectutem uſque indeſinenter ad ariditatem tendere; atque inde eſſe, quod ſanguis puerorum, & infantum, humiditate ſit abundantior, comparatus cum ſanguine juvenum, multo magis præ ſanguine ſenum; ſitque inſuper calore abundantior. Hoc etiam jam docuit GALENUS in commentario in librum *Aphoriſmorum*, dicit enim, „ calor puerorum calore juvenum quantitate major eſt, & calor juvenum qualitate vehementior eſt ". Quod & demonſtratur bonitate operationum naturalium (*f*), *videlicet*, *digeſtionis*,

(*e*) *Arab.* etiamſi de cura variolarum res quaſdam memoraverint ſine accuratione & ſine diſtinctione &c.

(*f*) Græca verſio ——— *των τε αυξησεων και πεψεων και αποδοσεων εν παισι* ——— [Fol. Pariſ. 1548. apud Rob. Stephan.] pag. 244. lin. ult.

& augmenti, *&, corporis incrementi in pueris.* Quapropter aſſimilatur ſanguis infantum & puerorum, muſtis [*ſive* ſuccis expreſſis] in quibus nondum incepit fieri coctio perducens ad maturationem perfectam, & in illis nondum contigit motus, ad ebullitionem excitandam.

Aſſimilatur autem ſanguis juvenum muſto, quod jam efferbuit (*g*), *ediditque ſonum*, & evaporavit ex illo abundantia vaporum, & ſuperfluitatem ejus; uti vinum, quod jam quievit, & ſedatum eſt, & vis ejus perfecta.

Sanguis autem ſenum, veteri aſſimilatur vino, ex quo jam evaporata eſt vis ejus, & in promptu eſt ut frigeſcat, & fiat acetum. Variolæ ergo fiunt, quando putreſcit ſanguis, & ebullit, ut ex eo evaporentur ſuperfluitates vaporum ejus, & permutetur a ſanguine infantili, qui muſtis comparatur, in ſanguinem juvenum, qui vino maturo ſimilis eſt. Variolæ ipſæ etiam ebullitioni & efferveſcentiæ ſono, qui in muſtis accidit in illo tempore, comparandæ ſunt.

Atqui ea de cauſa non fit, ut pueri immunes evadant ab hoc morbo, præcipue maſculi; nequaquam etenim evitari poteſt ſanguinis mutatio ex hoc ſtatu, in ſtatum ſecundum, uti nequaquam vitari poteſt mutatio muſtorum, [quorum natura eſt ut ſibilent & efferveſcant,] in ſtatum illis futurum poſt efferveſcentiæ ſtridorem, & ebullitionem. Et raro quidem evenit, infantis aut pueri temperamentum tale eſſe, ut poſſibile ſit, ut ſanguis in illo commutetur ex

(*g*) Græc. verſ. Και εκφυσησαντι.

ſtatu primo in ſtatum ſecundum (*b*) paulatim, pedetentim, & in tempore diuturno, adeo ut non adpareat in ſanguine hæcce ebullitio, & ſibilationis ſtridor. Oportet etenim id temperamentum eſſe frigidum & ſiccum. Verum enim vero puerorum temperamentum huic plane contrarium, uti & regimen eorum, etiam quoniam infantum diæta eſt ex lacte.

Etiamque pueri, licet eorum alimentum ex lacte non ſit, nihilominus huic propius accedit, quam cæterorum hominum *cibus;* & eorum miſtura eſt etiam major, pariterque motus eorum, poſt cibum: & propter has rationes, rariſſime quidem, effugit puer immunis ab hoc morbo. Tum poſtea fit ſtatuum illorum in iis mutatio, ratione habita ad eorum temperamenta, & regimen, & indolem, & aerem illos ambientem, & ſtatum ſanguinis, qui eſt in vaſis eorum, in quantitate & qualitate: in quibuſdam etenim celeriter fluit, in aliis tardius movetur; in his abundat, in aliis deficit, in quibuſdam qualitate pravus eſt valde, in aliis minus qualitate pravus.

Juvenes autem quod attinet, quemadmodum ſanguis eorum jam converſus eſt in ſtatum ſecundum, & abſoluta eſt ejus maturatio & ex illo evaporatæ ſint ſuperfluitates humiditatis, quæ putredinem neceſſario inducunt; iis quidem hic morbus non accidit, niſi uni poſt alium ex iis: & id quidem in iis, quorum ſanguis, qui eſt in vaſis eorum, eſt vel abundanti humiditate; vel qualitate pravus, valde inflammatus; vel iis qui in pueritia eorum variolis correpti

(*b*) *Arab.* paulatim paulatim, & res poſt rem, &c.

fuerant levioribus, in quibus non perfecta fuerat per has, ſanguinis mutatio in ſtatum ſecundum. Iis etiam accidunt, quibus calor eſt hebes, vel humiditas non copioſa: & iis, qui in pueritia eorum variolis correpti fuerant debilioribus, quique corpore ſunt ſicci, macilenti, calore hebeti (*i*), quieto: quique cum juventutis annos attigerunt, regimine uſi ſunt, quo corpus carnoſum firmumque evaderet; vel regimine ſanguinem eorum corrumpente.

Quoad ſenes autem, non fit ut accidat illis hic morbus niſi in ſtatibus aeris peſtilentialibus, putridis, malis, in quibus hic morbus vehementer abundat. Aer etenim putridus juſtam temperiem multo tranſgreditur, ad calorem & humiditatem *vergens*; & aer inflammatus impetus hujus morbi promovet, convertendo ſpiritum, qui eſt in duobus cordis ventriculis, in temperiem propriam; deinde convertit totum ſanguinem qui eſt in arteriis mediante corde, in ſtatum ſibi ſimilem.

Et jam diximus de cauſa variolarum, ſermone ſufficienti brevi, compendioſo. Dicturi ſumus adhuc, de corporibus diſpoſitis ad variolas & morbillos.

(*i*) Gr. verſio πεπαυμενην.

CAPUT II.

De corporibus ad variolas aptis & diſpoſitis: & de anni tempeſtatibus, in quibus abundant corpora ad variolas diſpoſita.

Hæc ſunt in univerſum, humida, & alba, & carne repleta, bene colorata, & temperata, & rubra: fuſca etiam, quando cum carnis abundantia ſint: & illa in quibus abundant & ſæpius invadunt febres calidæ & continuæ: & hæmorrhagia [narium *præcipue*] & ophthalmia, & puſtulæ albæ, rubræ, & veſiculæ. Illa etiam quæ multum comedunt rerum dulcium, præcipue dactylorum & mellis, & ficuum, & uvarum; & omnis ſpeciei rerum dulcium, in quibus eſt craſſities & denſitas, uti pulmentorum, & (*k*) Faluzedgat; & abundant uſu vini & lactis.

Corpora autem macilenta, bilioſa, calida, ſicca; talia ad morbillos magis quam variolas diſpoſita ſunt: &, ſi variolis correpta fuerint, non fieri poteſt, quin ſint numero paucæ illorum variolæ, diſtinctæ invicem, debiles; vel e contra pravæ maxime, numeroſæ, ſteriles, ſiccæ, cum putredine, & non cum maturatione.

Corpora autem macilenta, ſicca, cum temperamenti frigiditate, nequaquam diſpoſita ſunt ad variolas & morbillos. Quod ſi tamen variolis

(*k*) *Faluzedyat*, pulmenta & potiones ex amylo, polline, aqua & melle. [Meninski Theſaur. Viennenſ. 1680. fol. 689.]

correpta ſint, in illis hæ erunt paucæ, debiles, moderatæ, ſtabiles, tutæ, cum febribus moderatis, levibus, [talia etenim corpora has exſtinguunt] a principio rei ad finem uſque.

Quoad anni tempeſtates, in quibus oriuntur variolæ & abundant, jam dicturus ſum. Extrema porro ſunt autumni & veris initium, & quando per æſtatem pluviæ ſunt (*l*) intenſæ, crebræ, & venti auſtrales ſunt multi & continui; & quando hyems tepida eſt & auſtralis.

Quando autem æſtas fuerit valde calida & ſicca, & autumnus calidus, ſiccus, & pluviæ retardatæ admodum, morbi tunc celeriter invadunt eos, qui ad illos diſpoſiti ſunt; hi vero ſunt homines, calidis, macilentis, biliofis corporibus.

Perſæpe etiam hæc mutantur, cauſa regionum & domiciliorum, & ſtatuum in aere occultorum, quæ illos morbos neceſſario inducunt, & ad illos diſponunt: unde fit, ut in aliis etiam tempeſtatibus variolæ oriantur. Tunc igitur oportebit, ut ſummam adhibeas diligentiam circa præſervationem ab his *morbis*, ſtatim atque videris illos incipere, atque in homines graſſari, ſecundum ea quæ in ſequentibus memoraturi ſumus.

(*l*) *Arab.* aliæ alias conſequentes.

CAPUT

CAPUT III.

De ſignis indicantibus eruptionem variolarum & morbillorum.

ERUPTIONEM variolarum præcedit febris continua, & dolor dorſi, & pruritus naſi, & terror in ſomno; & hæc ſunt ſigna magis propria variolarum inſtantium, præcipue dolor dorſi cum febre; deinde punctio, quam invenit æger in toto corpore ſuo, & repletio faciei, tum reductio ejus *in primum ſtatum* extemplo; & coloris inflammatio, & vehementia ruboris in genis ambabus, poſtea: & rubedo oculorum; & corporis totius gravitas: (*m*) & abundans inquietudo, *cujus* ſigna *ſunt* pandiculatio & oſcitatio, & dolor in gutture & pectore, cum paucula ſpiritus arctatione, & tuſſi; & oris ariditas, & ſalivæ craſſities, & vocis raucedo, & cephalalgia, & gravedo capitis. & animi inquietudo: & tædium, & nauſea, & mœror: (niſi quod inquietudo, & nauſea, & mœror, in morbillis abundant magis, quam in variolis; & dolor dorſi variolis peculiaris magis ſit, quam morbillis:) & calor totius corporis & inflammatio coloris ejus, fulgor etiam & rubedo: rubedo gingivarum intenſa, præcipue. Et quum videris hæc ſigna, vel quædam ex eis, præcipue vehementiora eorum, uti ſunt, dolor

(*m*) Cl. CHANNING ait hujus loci *voces*, *punctis diacriticis in exemplari ſuo* (Arabico) *carere* & confuſe pingi, tradita *ſua illas legendi methodo. At hæret & nihil definit*, citatque *Græcam verſionem* quæ ſic ſonat: ——— *επι τουτοις και σκορδινασμος, και χασμη συχνη* ——— *pag.* 247. *lin.* 3. *και οδυνη εν τω λαιμω, και εν τω θωρακι* &c.

dorſi, & terror, cum febre continua, certo ſcias ægroto variolarum aut morbillorum eruptionem inſtare. Atqui illam in morbillis non comitabitur dolor dorſi tantus, quantus in variolis; nec in variolis e contra, mœror & nauſea quantæ cum morbillis ſunt; niſi variolæ ſint pravæ: & hæc monſtrant morbillos oriri, ex ſanguine ſumme bilioſo.

IN variolis autem ſalutaribus, ſanguis quantitate *peccat* magis quam pravitate: atque inde eſt, quod oriantur cum dolore dorſi, propter extenſionem venæ & arteriæ majorum, quæ ſitæ ſunt ſuper vertebras ſpinæ dorſi.

CAPUT IV.

De enarratione (n) articulorum regiminis in variolis, univerſaliter.

JAM vero memoremus articulos regiminis in variolis, univerſaliter.

PRIMUS eorum eſt, præſervatio *adhibenda*, priuſquam adpareant ſigna earum; & cohibitio earum, poſtquam adparuerint ſigna earum.

SECUNDUS, de illis quæ accelerant eruptionem, & adparitionem earum.

ET tertius, providentia circa oculos, & cilia, & meatus aurium, & interiora narium, & guttur, & articulos, ut nulla in iis *hæreat* aut infixa ſit putreſcentia.

QUARTUS etiam, de illis quæ maturationem earum accelerant.

(*n*) *Arab.* accidentium.

Quintus, acceleratio deſiccationis earum.

Sextus, (o) *pravæ, lethales.* De ſquamis amovendis.

Septimus, de illis quæ auferunt veſtigia variolarum.

Octavus, de alimentis ejus qui variolis laborat.

Nonus etiam, de naturæ præſervatione a diarrhœa, poſt variolas.

Et decimus, ſigna ſanabilium & lethiferarum.

Ipse vero dicturus ſum de omnibus his articulis, ſermone brevi, ſufficienti. Si voluerit Deus.

CAPUT V.

De præſervatione a variolis, (p) *antequam adparuerint, & de prohibitione ne multiplicentur, poſtquam adparuerint.*

Oportet ut detrahatur ſanguis illis, qui pueri ſunt, & adoleſcentes, & juvenes, qui vel nondum variolis fuere correpti, vel qui correpti *fuerunt* olim variolis languidis *debilibus*: (& præcipue in iis ſtatibus & temporibus; in iis etiam qui tali ſunt temperamento quale ſupra retulimus) antequam febricitent, & adpareant in

(o) *Pravæ lethales:* has duas voces alterius eſſe loci monſtrat titulus Cap. VI, ubi non exſtant.

(p) *Arab.* ante adparitionem earum —— poſt adparitionem earum.

illis ſigna variolarum. Venæ ſectio nimirum in illis fiat, qui annum decimum quartum adtigerint: illis autem qui ætate minores ſint, cucurbitulæ admoveantur. Cubicula eorum refrigerentur: cibus eorum ſit exſtinguens *calorem*, ex (*q*) lentibus flavis, & ex (*r*) omphacino: *& cibus iſte acidus ex carnibus conſciſſis*, (*s*) Sicbádg *dictus*: & Gelatina ex hœdorum *pedibus* parata: & (*t*) juſculum tenue *edulii* Sicbâdg dicti, a pinguedine defæcatum: juſcula etiam ex carne vitulina parata; item (*v*) juſcula ex attagenibus, gallinis, phaſianis. (*x*) Harum etiam conſciſſæ carnes, cum ſucco uvæ accerbæ parato. Et bibant aquam nive refrigeratam, vel aquam fontanam puram frigidam; quacum etiam cubicula eorum conſpergantur. Utantur frequenter malis

---

(*q*) *Arab.* decoctum ſive edulium ex lentibus. Juxta GOLIUM conficitur ex lentibus flavis ad ſolutionem fere in aqua coctis, additis aceto rubro, coriandro, ſale.

(*r*) *Arab.* Juſculum ex carne hœdina vel agnina, vel gallinis, cum ſucco uvæ acerbæ paratum: parandi modus ab EBN GIAZLA traditur.

(*s*) *Sicbâdg*, vide CASTELLI Lexicon Col. 2523, N°. 14. EBN. GIAZLA tres hujus ſpecies colore varias recenſet: albam ſc., flavam croco, rutilam cnici flore tinctam.

(*t*) *Arab.* Holâm; eſt jus tenue *Sicbâdg* ab adipe defæcatum: idem fere ac Matzoutz: ---- EBN. GIAZLA.

(*v*) *Arab.* Et Matzoutz ---- juſcula ſc.

(*x*) *Harum etiam conſciſſæ carnes.* In exemplari vox Arabica ſine punctis diacriticis, & literis minime diſtinctis picta eſt, ait Ill. CHANNING, ita ut hæreat maxime in lectione. Græca verſio: *τροφη δε χρηϛεον, τοις δι' ομφακιων εψημενοις, τοις δε οξωδεσι πηκτοις, και τοις απλως οξωδεσι, και ταγηνοις οξυϛοις, και θριδακιναις.* —— pag. 247. lin. 33. 34.

Punicis acidis, & lambant ſuccos fructuum acidorum & ſtypticorum inſpiſſatos; uti rob mali Punici & (*y*) ribas, & rob aciditatis citri, & omphacini, & mori Syriaci, & ſimilibus. Quique ex illis fuerint temperamento calidiori, & magis inflammati, mane ſumant aquam hordei (*z*) accurate paratam, cui affundatur quarta pars ſucci mali Punici acidi. Qui vero his minus ſunt inflammati, his quidem mane propinetur ptiſana ex (*a*) ſauic hordei & ſaccharo. Cibis eorum admiſceas etiam acetum, lentes, & mala Punica, & omphacium imprimis: his etenim efficies, ut ſpiſſiorem reddas ſanguinem, eumque refrigeres, adeo ut prohibeas ebullitionem ejus, & puſtularum eruptionem. (*b*) Hoc regimen quam ma-

---

(*y*) *Et ribas:* lapathi acetoſi ſpecies, cujus rubicundus aciduſque ſuccus, ad tertias coctus, *rob de ribes* vulgo dicitur GOL. Lexic. Col. 930. CASTEL. Col. 3503. De hac planta vide plura apud HYDE de Relig. veter. Perſar pag. 540-546. (Oxon. A. D. 1760.) ---- " Ibidem (*Choraſanæ ſc. in montibus prope Neiſabour*) & planta celeberrima, & Europæis deſiderata quidem & incognita lætius paſcitur, quam in monte Libano, aut alio quocunque loco. Ubique genus utrumque, tum gemmæ ejus tum plantæ (*Neiſaboricum*) cæteris longe præfertur omnibus. GOL. not. in Alferganum, pag. 188. --- opaima eſt quæ creſcit ſuper montibus nivoſis. " EBN. GIAZLA.

(*z*) Græca verſio, *χυλον προσιεσθω ακριβως καθεψημενον.* pag. 247.

(*a*) *Sauic hordei*, *αλφιτον* GALENO; vocem Arabicam ubique retinui. Gr. verſio; *χρηςθω αμα πρωι αλφιτοις μετα σακχαρȣ.* pag. 247. lin. ult. ---- GALEN. *de alimentor facultat.* lib. I. (Edit. ALDI tom. IV.) fol. 49. lin. ult. *εκ των νεων κριθων φρυγειστων συμμετρως το καλλιςον αλφιτον γινεται.* EBN. GIAZLA in libro *Menhadg* ait, " *Sauic hordei* optimum eſt moderate toſtum, pauci furfuris; eſt magis refrigerans quam *ſauic tritici*; alvum comprimit, &c. "

(*b*) *Arab.* juvabit juvamine maximo, &c.

xime juvabit, etiam in omnibus temporibus peſtiferis. & imminuet pravitatem ulcerum peſtilentialium, & (*c*) furunculorum, & prohibebit pleuritides, & anginas, & in genere cunctas ægritudines bilioſas & ſanguineas. Lavent ſe etiam aqua frigida circa meridiem, in illam ingrediantur etiam, & natent. Abſtineant etiam a lacte recenti & vino, & dactylis & melle, & in univerſum a rebus dulcibus, & cibariis (*d*) *Iſfidbâdgât* dictis; & carnibus ovium, & jumentorum; & locuſtis, & pullis avium; & condimentis, & ſeminibus calidis. Dentur illis etiam quando tempus ſit peſtilentiale, pravum, vel temperamentum eorum calidum, humidum, putredini recipiendæ aptum; vel calidum, ſiccum, diſpoſitum ad inflammationem, una cum hoc regimine, quædam remediorum quæ deſcripturi ſumus. Dentur etiam præditis temperamentis ca-

---

(*c*) *Arab.* Werashkin: Cl. MEAD furunculos vertit. Gr. Interpr. ---- *των φυματων, και των πνικηρων διαθεσεων*, pag. 248. lin. 4. Vox in lexicographis fruſtra quæritur. Aliquam lucem præbet ABU OSAIBA, in vita GABRIELIS fil. BACHTISHUÆ fil Georgii; cujus verba ſequuntur, (vertente SALOMONE NEGRI) ---- " interrogatus GABRIEL
" ab ABU-ISAAC ---- de morbo, qui *Werſekin* appellatur;
" reſpondit, nomen hoc Perſæ compoſuerunt e duabus vocibus,
" *fractionis* ſc. *pectoris*, nam in puriori ſermone Perſarum,
" nomen pectoris eſt *Wer*; quod vulgo *Ber* dicitur; nomen
" autem fractionis *eskin* (eskin): ſi ambæ voces una conjun-
" gantur, efficiunt *Werſekin* (potius *Wereshkin*) i. e. morbus
" ille in quo pectus neceſſario frangitur. " Vide append. ad FREIND *Hiſt. Medicinæ* vol. II. pag. 11. & 12. An empyema? an vomica? videant medici.

(*d*) *Iſfidbâdgât*: alba nimirum cibaria, quæ ex carnibus, cepis, oleo, butyro, & caſeo ſicco componuntur, GOL Lexic. Col. 103. EBN. GIAZLA hujus edulii parandi modum tradit, a GOLIANO nonnihil diverſum: nimirum ex carne ovina, oxalide, cepa, coriandro, ſale, in aqua coctis.

lidis, ſiccis, inflammabilibus, olera refrigerantia, recentia, exſtinguentia, uti portulaca, malva & blitum: cucurbitæ etiam, & cucumeres, & cucumeres anguini, & citrulli.

QUOAD (*e*) pepones vero, dulces præcipue, ab his prohibeantur interdicto vehementiori. Quod ſi forte ex iis ſumpſerint, ſuperbibant extemplo rob fructuum acidorum. Detur illis etiam de (*f*) piſcibus mollibus; & (*g*) *Al-Raib*.

QUOAD illos, qui corpora habeant obeſa, carnoſa, alba, rubra; quoad hos, *inquam*, ſatis ſit tibi diætam præbere, qualem primo retulimus, ex quocunque refrigerante, ſiccante. Omnibus etiam interdicito labore, balneo, coitu, ambulatione, & equitatione in ſole & pulvere. Potu etiam ſtagnantium aquarum, & fructibus & leguminibus uredine & rubigine tactis. Alvum eorum mollem reddas, quando opus eſt illis, aqua prunorum Damaſcenorum & ſaccharo; & (*h*)

(*e*) *Quoad pepones*: vox Arabica eſt *batcich*. "Cucumeres „ cum magnitudine exceſſere pepones vocantur." PLIN. *Hiſt. Natur.* lib. III. cap. 5.
Cl. MEAD melones reddit.
EBN BEITAR --- "*Batcich* notus eſt, Perſice dicitur „ *charbuze*, vox etiam Arabice uſurpatur, & dicitur *charbuz*."
GALENO, nomine cucumeris anguinæ maturæ notus.
DIOSCORIDES autem peponem appellat ---- *charbuze*, melo, pepo, anguria. MENINSKI Col. 1875. *Waſſermelone* Germ.

(*f*) Gr. verſio. *τρεφε δε αυτȣς των ιχθυων τοις μαλακοσαρκοις*. pag. 248. lin. 16.

(*g*) *Al-Raib*: *και εκ τȣ οξωδȣς τȣ γαλακτος το οξωδεστερον ιχωρ εκκρινομενον το παρα τȣ σωφȣ τȣτȣ ραιπ ονομασθεν*. Gr. verſ. pag. 248. lin. 17-18. Vide infra pag. 232. ubi aquam *Raib* RHAZES ipſe deſcribit.

(*h*) *Sero lactis*: Arab. aqua caſei.

ſero lactis & ſaccharo. Et caveant, *jubeto*, a ficubus, quia gignunt puſtulas, & ſuperfluitates ad exteriora cutis propellunt; ab uvis autem, quia ſanguinem ſtatu & ſpiritu implent, & aptum & diſpoſitum reddunt ad ebullitionem & effervefcentiam: & ſi aer fuerit pravus valde, putridus, peſtifer, facies quotidie abluta ſit aqua ſantali, & camphora, & effectum habebis bonum, cum permiſſione DEI.

QUOD ad infantes & lactentes: cucurbitulas admoveto iis, qui quintum menſem prætergreſſi ſunt, quando ſunt obeſi, albi colore, rubore nitentes. Nutricem porro quæ lactat, eo regimine guberna, quod jam memoravimus. Qui vero ex iis ſit, qui jam (*i*) pane alitur; huic dato ex iis, quæ antea recenſuimus, ea qua viſum ſit quantitate.

JAM vero recenſeamus medicamina, quæ ſanguinem ſpiſſant & refrigerant, & cohibent putrefactionem & ebullitionem ejus.

HANC prohibent omnes res acidæ; uti autem, (*k*) & aqua *Al-Raib* ſumma aciditate; (ea eſt autem aqua illa tenuis amara, quæ ſupernatat *Al-Raib*, quando ſoli exponitur) acidum etiam citri: (*l*) his magis etiam juvant illa, quæ cum

---

(*i*) Hæc in archetypo Leydenſi, in margine, fere obliterata leguntur: corrupte certiſſime. Gr. verſ. *τοις δε μεταλαμβανουτι τροφης, διδου εκ των προειρημενων συμμετρα τη αρχουση καταςασει.* pag. 248. lin. 35, 36 In Cl. MEAD Codice M. S. hæc omiſſa ſunt: at conſtat, in codice quo uſus eſt Gr. interpres, exſtitiſſe.

(*k*) Et aqua *Al-Raib* vide not. g. pag. 231.

(*l*) *Arab.* juvant etiam juvamine his majori, &c.

aciditate, vim ſtypticam conjunctam habent; ut ſuccus uvæ acerbæ, & ſumach, & (*m*) ribas, poma & mala cydonia, & mala Punica acida: & res quæ condenſant ſanguinem tota ſua ſubſtantia, uti ziziphæ rubræ, & lentes, & braſſica, coriandrum; lactuca etiam & papaver, intybum, ſolanum, & (*n*) *Tebâshir*, & ſemen pſyllii & camphora.

(*m*) *Et ribas* --- non rob uvarum Corinthiacarum; ſed ribas. Vide not. y. pag. 229.

(*n*) *Et Tebâshir* ---- vocem Arabicam nuſquam non retinui. Græc. interpres per *σποδιον* ubique reddit: Cl. MEAD ſaccharum Bambu; auctoritate vel GOLII (Col. 1439) vel GARCIÆ AB HORTO, vel CAROLI CLUSII, qui de *Tebaxir* (*Tebâshir*) multa habet in *Hiſtor. Aromatum* (Antiwerp. 8vo. 1593) pag. 46.

Quid ſit incertum eſt: conſulas AVICEN. (Arab. in hac voce pag. 182) & PLEMPII verſionem & notas (fol. Lovan. 1658. pag. 147.) Apud ſeplaſiarios Turcas & Arabes, adhuc divenditur *Tebâshir*; quid ſit neſciunt, ſolummodo aiunt ab oriente ad illos advehi.

Geograph. Nubiens. (Paris 4to 1619. pag. 64 ſic habet; ---- „ Diſtat ab hac (*a Senduba.* ſc.) Nana urbs maritima, itinere „ quatridui. Eſt autem Nana urbs conſpicua, magno adjacens „ ſinui, quem naves ingrediuntur, in eoque quieſcunt, & exinde vela faciunt. In ejus montibus & terra naſcuntur *canna*, „ & (Tebâshir) ſpodium."

Lectori nec ingratum nec moleſtum fore confido, ſi EBN BEITARIS Arabis Malacitani, medici & botanici inſignis, verba ſubjiciam; unde patebit, apud priſcos Arabum medicos, quanto in honore olim fuerit, & quam crebro in uſu, hoc, dubiæ licet originis, remedium. ---- “ *Tebâshir*, forma ejus nota eſt. Subſtantia eſſe dicitur, in veteris cannæ cavitate inventa, & optimum eſſe, quod ad nodos cannæ invenitur. „ Dicitur etiam, eſſe cannæ partem uſtam, & incineratam: „ nimirum cannæ ventorum furore agitatæ, ſe invicem confricant; ex frictione accenſa flamma, comburuntur, & in „ cineres rediguntur. Invenitur, ubi & piper nigrum. Optima „ ſpecies eſt, quæ ſumme alba, & in rotunda fruſtula diviſa, „ ſicut aureus (*dirhem*, *Arab.*), adulteratur autem cum oſſibus „ ovium, oſſibus capitum præcipue. Frigidum eſt in ſecundo, „ ſiccum in tertio gradu. Juvat contra aduſtionem bilis flavæ, „ & ventrem coercet, & ventriculum roborat, epotum, &

PORRO hæc eſt medicamenti deſcriptio, quod ſanguinis ebullitionem ſedat, & juvat contra æſtum & inflammationem jecoris, & ardorem flavæ bilis.

ROSARUM rubrarum contuſarum drachmæ decem.

TEBASHIR drachmæ viginti.

SUMACH, ſeminis oxalidis majoris, lentium decorticatarum, berberum, ſeminis portulacæ, ſeminis lactucæ albæ, ſingulorum drachmæ quinque.

SANTALI albi drachmæ duæ cum dimidia.

CAMPHORÆ drachma una.

Matutinis temporibus huic ſe adſueſcat in potu; ſumat drachmas tres ex uncia una rob aciditatis citri, vel rob ribas, vel rob mali Punici, vel ſucci omphacini & his ſimilium.

His etiam prodeſt hoc *Secangiabin*; i. e. hic ſyrupus acidus cum ſaccharo, hoc modo paratus.

Sumantur pars una aceti rubri defæcati, præ-

„ inunctum. Utile eſt in febribus calidis, & ſiti; ſiſtit etiam „ vomitum bilioſum: ventriculo & jecori calidis magnopere „ prodeſt. Proficuum eſt in ulceribus; & puſtulis, & aphthis „ in puerorum ore accidentibus, quando vel per ſe frigidum „ inſpergatur, vel roſis rubris & ſaccharo *Tabarzad*, (ſive al- „ bo candido) commixtum. Juvat etiam in hæmorrhoidibus „ cæcis, epotum. Ventriculum ſtringit, & ſiſtit alvi profluvia „ bilioſa. Juvat etiam in tumoribus oculi calidis. Cor roborat „ contra palpitationem acrem & deliquium, ab influxu bilis „ in ventriculum oriunda, epotum vel in aqua, vel in *Se- „ cangiabin* (i. e. oxy-ſaccharo.) Juvat item contra melancho- „ liam & mœrorem; animi angorem & ſollicitudinem removet. „ Diarrhœam cohibet. Febres calidas tollit, aqua frigida epo- „ tum. Cor vel calidum, vel ſiccum frigidum roborat; (pro „ temperamentis frigidis, crocus admiſcendus erit.) Longo „ uſu epotum, humiditatem ventriculi diuturnam removet & „ abſtergit; & inteſtina ex calore diu debilitata roborat; vel „ intus ſumptum in potu, vel externe illitum."

ſtantis, & partes duæ aquæ roſarum; commiſceantur, & macerentur in iis uncia una foliorum roſarum rubrarum ſiccarum, & uncia una balauſtiorum, & unciæ duæ corticis mali Punici, per dies tres: dein coletur. Poſtea coquatur adjecto (*o*) ſacchari candi albi duplo vel triplo, ad aceti primum pondus: coquatur quantum ſatis, & ad uſum ſervetur.

Proderit etiam hoc magis, ſi ſumantur roſarum (*p*), *Tebâshir*, ſingulorum drachmæ decem: ſantali albi drachmæ tres, camphoræ drachma una: ſubigantur cum mucilagine ſeminis pſyllii, & fiant pilulæ vel trochiſci. Ex his in potu propinentur quando opus ſit, pondus trium drachmarum ex uncia una *Secangiabin prædicti.*

Hoc etiam multo magis juvabit ſyrupus, cujus hæc eſt forma; & virtus ejus ſuperat virtutem omnium ſyruporum. Per Deum niſi fuerit ſyrupus margaritarum, quem parant Indi, ad modum diverſum, illis cognitum. Indi nimirum dicunt, " ſi quis bibat de ſyrupo margaritarum, ſi in illo jam eruperint puſtulæ variolarum novem, decima non ſuperveniet". Hæc vero eſt ejus deſcriptio.

Sumantur aceti defæcati veteris præſtantis tres libræ: ſucci mali Punici acidi, & aciditatis citri, & ſucci uvæ acerbæ, ſucci ribas, ſucci mori Syriaci, infuſi ſumach, & berberum, ſingulorum libra una. Succi expreſſi lactucæ, ſucci dra-

---

(*o*) *Arab. ſaccharum album durumque.* Sacchari albiſſimi ſpecies adeo dura, ut ſecuri frangi debeat &c. Castel. Lexic. Col. 1469. Ebn. Beitar, *Sacchar Tabazurd*, ſive candium. Vide pag. 233 234. in not. n.

[*p*] *Tebâshir* vide not. n. pag. 233.

cunculi, ſingulorum libræ quadrans. Decocti zizipharum rubrarum & infuſi lentium, ſingulòrum libra una cum dimidio. Commiſceantur omnia, & adjiciantur ſacchari libræ tres; & coquantur. Dein ſumas libram dimidiam *Tebâshir* & camphoræ quæ inmittantur in mortarium mundum, poſtquam probe trita fuerint, & his affundatur *guttatim* pauxillum hujus ſyrupi calentis, & celeriter agitando cum piſtillo ſubigantur, donec diſſolvantur: deinde cum toto commiſceantur. Et ne deſinas agitare, cum ſegmento vel cannæ apertæ, vel ligni (*q*) ſalicis, [at canna eſt melior] ab initio rei ad finem, poſtquam injecta fuerint *Tebâshir* & camphora, quouſque perfecte uniantur. Dein utaris, vel ante adparitionem ſignorum variolarum, vel poſt adparitionem etiam, quemadmodum nos ſumus dicturi: & in omnibus (*r*) morbis ſanguinis & flavæ bilis, & (*s*) in ulcere peſtilentiali ſive peſte, & furunculis, & faucium ſtrangulationibus, aliiſque ſimilibus: juvat enim DEI permiſſu.

Atque hæc in genere ſufficiant de præſervatione a variolis antequam febris oboriatur, quam comitantur ſigna variolarum.

His variolæ quandoque repelluntur, ab homine qui ita paratus ſit, ut ab illo morbus repelli queat, adeo ut nunquam eveniat, ſiquid variolarum in illo contingat, quin ſint debiles,

---

[*q*] *Calâf. Arab.* ſalicis ſpecies.

[*r*] *Arab.* morbis ſauguineis & cholericis &c.

[*s*] *Et in ulcere peſtilentiali, ſive peſte, & in furunculis* &c. in textu ita exemplar meum; ita BOERHAAVII in ſingulari, *peſtem*, *ulcus peſtilentiale* ſignificat. In pag. 230. in plurali occurrit, quæ & hic loci, etiam vera fortaſſis eſt lectio.

paucæ: vel ut ab illis immutetur *ſanguis* in ſtatum ſecundum, uno velut ictu, & in brevi tempore, cum effervescentia & ebullitione, quibus ſymptomata timenda & periculoſa ſunt comites; verum (*t*) paulatim, pedetentim, & in tempore diuturno & res poſt rem, & per modum digeſtionis, non per modum putrefactionis, abſque febribus periculoſis, pravis, horrendis; vel noxiis, & procul dubio dolorificis. Verum-enim-vero quando febris oritur, quam comitantur ſigna variolarum, haud debet hoc regimen uſurpari, niſi poſt obſervationem, & inquiſitionem, & aſſiduam cautelam: periculum enim, ab errore in hac re commiſſo, eſt maximum. Et id quidem, quoniam ſanguis cum ebullit, inflatus eſt pariter, auctuſque mole. Natura ſimul etiam conatur, pro ratione temperamenti, totam ejus redundantiam foras expellere, vel in corporis membra. Quod ſi (*u*) congelando & refrigerando id non aſſecutus fueris, nimirum ut *ſanguinem* reducas ad gradum frigiditatis & craſſitiei, illo, quem habuit ante ebullitionem ejus, plane majorem, vel ſecunda, vel tertia etiam vice æſtuabit; adeoque eveniet, te contra naruram juvare, atque ab opere ſuo illam divertere. Haud etenim poſſibile eſt, modo vehemens ſit ebullitio, iſtius ſedationem fieri, niſi per illas res, quibus *adhibendi* magnum adſit periculum: iis ſcilicet, quæ ſanguinem ſumme congelant; uti opio, & cicuta, & larga quantitate

---

[*t*] *Arab.* paulatim paulatim, & in tempore &c.
[*u*] *Arab.* & ſi non eouſque pervenerit condenſatio & refrigeratio tua &c.

ſucci expreſſi lactucæ, & ſolani, & his ſimilibus. Modi etiam exceſſu, & continuo uſu & attentione ad illud regimen, quod jam deſcripſimus. Atque ex his nec certa nec tuta erit ſanguinis congelatio, & caloris innati eodem tempore extinctio, ab hoc modi exceſſu; in his *administrandis*. Inſuper, etiamſi in his *exhibendis* tu prodigus ſis, modumque exceſſeris, nihilominus id nequaquam aſſequeris, ut ebullitionem exſtinguas, & calorem effrœnem extraneum cohibeas. Quando modum in his etenim excedas, una deprimis etiam vim illam, per quam valere poſſet calor innatus contra ſibi contraria & inimica: hunc etenim una & extraneum exſtinguis. Hujus rei a me tibi venit mentio in hoc loco: rei, quam quidam medicorum ex ſtultitia prætereunt, alii ab avaritia, ex arte ſua lucrum captantes, & ſibi ſolis vendicantes: ne cum illis, grave fiat tuum etiam contra naturam delictum. Voluntate DEI potentis, glorioſi.

Porro, ſigna variolarum quando conſpexeris, viderisque corporis diſtenſionem, jactationem frequentem, dolorem dorſi, ruborem coloris & oculorum, cephalalgiam admodum vehementem, & pulſum magnum plethoricum, & reſpirationem anguſtam, & urinam turbidam, rubram, & tactum corporis calidum, uti ſtatus eſt hominis ex balneo exituri; ſi corpus inſuper ſit carnoſum, & regimen olim tale fuerit, quale ſanguinis abundantiam neceſſario inducit, utique ſanguinem copioſe detrahito, quouſque deliquium oriatur.

Porro optimum erit, ſi ex vena baſilica, vel

quodam ejus ramo *detraxeris* (*x*): “ *quodſi hæc* „ *occultetur* , *ex interiore vena*”; *quod ſi* hæc etiam non adpareat, ex cephalica. Verum enimvero detrahere ex poſtica femoris & cruris junctura, vel ex ſaphæna, quando baſilica vel ramus ejus non adpareat, ſatius erit; hæc etenim vaſa ſanguinem trahunt ex vaſis magnis quæ ſunt in abdomine, plus quam trahit cephalica. Et quando ſigna hæc non ſunt admodum vehementia, manifeſta licet & diſtincta, ſanguinem nihilominus detrahito, pauciorem vero: & quando fuerint adhuc debiliora, ſanguinis tamen pauxillum detrahas: deinde curationem aggredere cum exſtinguentibus, ſicuti memoravi. Et quando inveneris exſtinguentium *uſu* & ſedatum eſſe calorem febrilem (*y*), & pulſum rediiſſe, pariter & reſpirationem, ad ſtatum naturalem, his utique pergas: his etenim ebullitionem variolarum ab *ægro* prorſus depelles. Ex iis autem, quorum uſu has exſtinguas, efficacius erit, ſi bibendum præbeas aquam nive refrigeratam, ſumma frigiditate, per vices, & in tempore brevi, adeo ut ab ea prematur *æger*, & ſentiat frigiditatem ejus in abdomine ſuo. Quod ſi poſthac

---

[*x*] Hic tria quatuorve vocabula [in M. S. Leyd. ſc.] bibliopegi parva cura reſciſſa ſunt. Gr. verſio pag. 250. lin. 29-33. *αριϛον δε εκχειν εκ τȣ μεσȣ αγκωνος, η εκ των παραφυαδων τȣτȣ, ει δε αφανης ειη, εκ της εντος φλεβος. ει δε και αυτη αφανης, εκ της κρανιακης. πλην κρειτ]ον εϛι, ειπερ ȣκ ευριϛκεται ἡ μεση αφαιρειν εκ της εντος ιγνυος. διοτι αι τοιαυται φλεβες ελκȣσι το αἱμα εκ των εντερων των μεγαλων των εν τῃ κοιλιᾳ πλεον της κρανιακης.* Unde ſupplevi.

[*y*] Gr. verſio: *Και οταν ιδης τα σβεννυοντα οτι παυειν τον πυρεσσοντα, και επανερχεται ἡ αφη τȣ σωματος, προς την φυσικην διαθεσιν, εχȣ της τοιαυτης επιμελειας*, &c. pag. 250. lin. 36-38.

febricitet, & calor in illum redierit, aquam bibendam ſecunda vice præbeas; cujus quantitas ſit a libris duabus ad tres, vel amplius, quam bibat intra horæ dimidiæ ſpatium. Quod ſi redierit calor, & abdomen aqua ſit repletum, fac evomat, tum denuo aquam bibendam præbe; & ſi penetraverit aqua, & ſudorem vel urinam moveat, certo ſcias præſto eſſe ſanitatem. Quod ſi non videris aquam penetraſſe, vel videris calorem augeri, & redire quemadmodum prius fuit, vel etiam validius, deſinas aquam frigidam larga quantitate per vices propinare, & te convertas ad cætera exſtinguentia quæ deſcripſi: & ſi his ægrotum levari conſpexeris, uti memoravi, his pergito. Quod ſi poſt horum uſum obſervaveris oriri quid anxietatis, & inquietudinis moleſtæ, vel ſi in univerſum obſervaveris anxietatem & inquietudinem vehementem, & ſupra modum, certo ſcias, non poſſe evitari variolarum aut morbillorum eruptionem. Tunc igitur oportebit ut miſſum facias hoc regimen, & accingas te ad naturam juvandam, quo redundantia hæcce extrudat & expellat, ſecundum illum modum quem deſcripturus ſum in (z) capite ſequenti.

---

[z] *Arab.* in capite quod ſequitur hoc caput.

CAPUT

CAPUT VI.

De iis rebus quæ accelerant eruptionem variolarum.

Eruptionem variolarum & morbillorum accelerant, veſtibus bene involvere *ægrum*, & fricare corpus, & eſſe in locis, quæ non ſunt vehementer frigida, & ſorbere aquæ frigidæ [*a*] parum paulatim; præcipue quando vehemens eſt inflammatio: aqua etenim frigida, quando paulatim & pedetentim ſorbetur, ſudorem ciet, & juvabit expulſionem redundantium *humorum* ad extimas corporis partes. Indutus ſit etiam æger induſio duplici, cujus oræ ſupernæ fibulis arcte ſubnectantur, & ſubtus illud ponantur duæ parvæ pelves, in quibus ſit aqua fervens, una ante illum, altera pone illum, ut calor vaporis ad univerſum corpus perveniat [facie excepta,] adeoque cutis rarefiat, & facilior reddatur ad recipiendam redundantiam, & evaporandam [*b*]. Corporis enim ſuperficies quando hujuſmodi eſt, ægro ſudor aſſurgit, & ſparſim ſuffunditur, qui ad refrigerandum commodus eſt, & maxime illi proficuus. Per hoc nimirum regimen, ſuperficies corporis mollis & tenuis redditur, & vires una ſervantur: quibus in hoc ſtatu nihil illi erit magis ſalutare. Utrumque vero aſſequeris, veſtibus bene involvendo, & frictione, & vapo-

[*a*] *Arab.* parum, parum, & res poſt rem.

[*b*] *Corporis enim ſuperficies*, &c. Sic legi, & ſenſum [uti confido] genuinum verborum retuli; quid legerit Gr. Interpr. neſcio. Vide pag. 231. a lin. 22-24.

ratione cum aqua calenti ſicuti diximus. Lavacrum enim, & balneum, in hoc ſtatu prava ſunt; quia ambo ſuperfluos humores tum nimis calefaciunt, tum una vires etiam maxime deprimunt: adeo ut deliquium oboriatur. At quando vel una vice, deliquium exortum ſit, avertitur *natura* ab officio ſuo, & periclitatur ægrotus; præcipue ſi ſit deliquium vehemens, & crebro revertens. Quoniam nihil magis indicat imminentem interitum, in hoc loco præſertim, quam deliquium vehemens, & crebro repetitum. Monſtrat enim naturam profligatam recedere, & contrahi in medium corporis: quod ſtatim atque evenit, eandem ſuperfluitas nulla mora gravabit, & *vires ejus* exſtinguet. Oportet etiam, ut non ſinas vaporem poſt vaporationem peractam ſuper corpus frigeſcere; atqui pannis ſtatim, caute & accuratæ exſiccandus eſt.

Hæc quidem ſatis ſunt ad exitum ſuperfluitatis foris facilem reddendum: modo nec hebes ſit natura, nec ſuperflui *humores* craſſi nimis & viſcoſi, expulſu difficiles.

Verum enim vero cum febris mitis ſit & pacata in ſuperficie corporis, anxietas vero & inquietudo diuturnæ, exitus etiam variolarum difficilis, & ultra diem quintum cunctatus, tu profecto coactus eris iis remediis uti, quæ exitum earum facilem reddant: oportet autem id a te fieri ſumma cum cautela & diligentia, uti jam tibi dixi, quando de conditionibus exſtinguentium ſupra differui. In his *exhibendis* etenim, error, licet in hoc caſu non æque gravis ſit ac in illo, gravis eſt nihilominus. Cautela vero ne hoc in loco in errorem incidas, in eo potiſſimum conſiſtit, ut tu ne feſtinus ſis in uſu me-

dicamentorum, verum contentus ſis priori regimine inſiſtere, quandiu tibi ſpes maneat, te illis *utendis* non indigere, & quandiu [*c*] non tibi conſtat, febrem in interioribus ventris adeo eſſe ſegnem, uti & in exterioribus *adparet.* Id quod liquido tibi notum erit, ſi nec pulſus nec reſpiratio citatiores fuerint nec majores, neque irregulares, & non ſit tactus pectoris in ſummo caliditatis gradu; inde nimirum certo ſcias, febris magnitudinem, [etſi eſſet duplo vel amplius acuta] ægrotum non ad interitum perducturam propter vehementiam caloris ejus. Et de hoc quidem certum te faciet hujus comparatio cum aliis febribus, quas vel in illo, vel in aliis ægrotis pari temperamento præditis, & pari calore, obſervaſti; qui ſalvi & ſanati ab illis evaſerunt. Illis atqui utitor remediis, quando quid obſervaveris exire, & in cutim adparere, ex quo ægrotus ſe levari percipit [*d*]; pulſum etiam & reſpirationem pari modo ſublevata eſſe videris; & obſervaveris exitum & eruptionem, & lentos & difficiles eſſe in hoc caſu; ſumme exſtinguentium uſum prorſus devites; heic enim iis uti, eſt contra naturam juvare, & illam prohibere ab expulſione ſuperflui *humoris* in cutis regionem. Et quando uſum exſtinguentium ſequitur quid anxietatis & inquietudinis, quæ antea

---

[*c*] Gr. verſio pag. 252. lin. 2. 3. *και μαλλον εαν βληχρος εϛιν ὁ πυρετος, ωϛπερ εκτος, ὀυτω και εντος*: "& quandiu tibi „ conſtat, febrem in interioribus ventris æque ſegnem eſſe, „ ac in exterioribus corporis videtur;" quæ lectio ſequentibus eſt magis conſentanea; fortaſſis vera.

[*d*] Gr. verſio pag. 252. lin. 10. 11. *και ευ εχει ὁ σφυγμος μετα ταυτα και ἡ εισπνοη.*

non aderant, quando hoc, *inquam*, acciderit, certus ſis, te jam erraſſe. Et ſi palpitatio cordis oriatur, certiſſime conſtabit, errorem tuum graviſſimum eſſe. Igitur ſtatim des operam, ut cutim emollias, ut antea dixi; & propines vice poſt vicem aquam calidam; vel per ſe, vel *aquam calidam*, in qua prius decocta ſint ſemen fœniculis & apii & cætera ejuſmodi, quæ memoravimus, quæ exitum variolarum facilem reddunt, pro quantitate & ratione qua videris, calorem vel minorem eſſe, vel magis inflammatum, & prout ferre poterit ægrotus: ratione etiam habita ad ſegnitiem variolarum, & erumpendi moram.

Deſcriptio medicinæ lenientis ſedativæ, quæ nimium calorem non excitabit, & exitum variolarum facilem reddet.

Sumantur ficus flavæ numero triginta.

Uvarum paſſarum, demptis acinis, drachmæ viginti. Adfundantur tres libræ aquæ, & leniter coquantur quouſque pene liquefiant. Ex hoc *liquore* bibat ægrotus libram dimidiam tribus vicibus: veſtibus etiam involvatur, & fiat vaporatio, ſicut antea diximus.

Deſcriptio medicinæ ea efficacioris.

Sumantur decocti prædicti quatuor unciæ.

Decocti ſeminis fœniculi & apii unciæ duæ: & bibat prout diximus.

Et illa adhuc efficacior.

Sumantur ſeminis fœniculi & apii, ſingulorum drachmæ decem: & coquantur in [*e*] de-

---

[*e*] *In decocto prædicto*, ficuum & uvarum paſſarum. Gr. Interpr. p. 252. lin. 24, --- και εκ τȣ προδηλοθεντος ζωμȣ ἑψησας εν κρανιω, &c. --- An vas vitreum? An Græci Interpr. κρανιον?

coćto prædićto, quouſque rubeſcat aqua ; dein defæcetur: & hujus bibantur unciæ tres.

Hæc autem medicina compoſita, proficua eſt in pleriſque temporibus, ſalutaris, utilis.

Sumantur roſarum rubrarum drachmæ quatuor.

Lentium excorticatarum novem drachmæ.

Ficus flavæ numero decem.

Tragacanthæ drachmæ tres.

Uvarum paſſarum albarum, demptis acinis, drachmæ decem.

Laccæ a ſtipitibus mundatæ & lotæ, drachmæ tres.

Seminis fœniculi & apii, ſingulorum drachmæ quinque.

Coquantur omnia in duabus libris aquæ, quoad ſint libra una & dimidia: ex hoc *decocto* bibat æger libram dimidiam cum [*f*] ſcrupulo dimidio croci, bis aut ter, prout neceſſitas poſtulaverit.

[*f*] *Cum ſcrupulo dimidio croci*, &c. Vox Arabica eſt *danik*, ſexta pars drachmæ; GOL. Col. 871.

Non abs re erit, ſi pauca de ponderibus ſubjiciam, ex auctore Anonymo Arabe, quæ ex M. S. Cod. Eſcurialenſis nº. 839. ita vertit Doctiſſ. CASIRI [Catalog. Bibliothec. Arabico-Hiſpanæ Eſcurialenſis, Tom. I. Madrit. fol. 1760. p. 281.] --- „ Si granum hordei unum quater multiplicetur, dabit *Kiratum*, „ Syris dictum *ſiliquam* [Charoubah *Arab.* baccam ſc. ſiliquæ „ dulcis]: ſi autem *Kiratum* ter multiplicetur, erit *danekum* „ [Arab. *danik*] quod ſexies multiplicatum eſt *dirhem* unum. „ Itaque ex *dirhemi* multiplicatione ſecundum varia nationum „ inſtituta conficitur *uncia*, quæ toties multiplicata dat *libram*, „ *Arab.* ratl. Gr. λιτρα, literis quaſi tranſpoſitis.] Ex quo „ fit ut *Kiratum*, [Κεράτιον], ſit quatuor grana. *Danekum* „ tria *Kirata*: *dirhemum*, ſex *daneka*, ſiclus, [*Arab.* Mithskâl] *dirhemum* cum dimidio, & inſuper tribus hordei granis. „ *Granum* eſt, ſi abſolute ſumatur unum hordei granum cum „ dimidio; & *drachma* ſiclus unus [Mithskâl] i. e *dirhemum* „ cum dimidio. Et ex libro *Grabadin*, [ſive Pharmacopoeia] „ dicto *Antaraci*, *libra* [ratl, Arabica], uncias 12 continet ; „ uncia autem, 10 dirhema complectitur. *Minha* 260 dirhema „ pendet, &c. ".

Jam vero dicamus de locis, quorum curam habere neceſſe eſt.

CAPUT VII.

De cura gutturis, & oculi, & cæterorum, quibus cura adhibenda eſt, quando ſigna variolarum adparuerunt.

OPORTET ſimul ac variolarum ſigna adparuerint, ut de oculo præcipue curemus; dein de gutture: dein de naribus, & aure, & articulis, ad modum quem mox ſum deſcripturus. Præterea interdum neceſſe erit nobis, curam habere de pedum plantis, & de volis manuum; fortaſſis enim, & non raro in iſtis, vehementes accidant dolores, ex difficili variolarum exitu in illis locis, propter cutis duritiem & craſſitiem.

Inſtilla oculo, ſtatim atque adparuerint ſigna variolarum, aquam roſarum, vice poſt vicem; & abluito faciem aqua frigida ſæpius in die: eandem etiam oculo inſpergito. Etenim ſi variolæ paucæ & languidæ fuerint, per hoc regimen efficies, ut ne quid erumpat & augeatur in oculo. Hoc fiat etiam, vel cautelæ ergo: etenim variolæ quandiu ſint languidæ & parvæ materiæ, rarius accidit, ut ex eis aliquid in oculum erumpat. Verum enimvero quando ebullitionem vehementem conſpexeris, & *puſtulas* numero plures in eruptionis initio, & palpebras pruritu affici, & alborem oculi rubeſcere, & quædam in illo loca intenſiore rubedine affecta, prodi-

bunt certe in illis locis *puſtulæ*; niſi [g] ſumma cautela munita ſint, & corroborata. Hoc autem efficacius erit, ſi gallam in aqua teras in collyrium, & inſtilles oculo: vel inſtilletur ei, ex pulpa mali Punici acidi prius maſticata, *liquor*: vel ex panniculo expreſſus inſtilletur (*h*). Palpebræ & cilia collyrio illinantur, compoſito ex (*i*) *Mamithſæ*, omphacini, ſucci lycii, aloes, acaciæ, ſingulorùm parte una, croci parte decima. Inſuper ejuſdem collyrii quid, ſi in oculo inſtilletur, utile erit in hoc tempore. At ſi videris materiam eſſe validam, & variolas plurimas erumpere, & conjectaveris nullo modo poſſe evitari, quin in oculo eruptio fiat, eo quod videris, loca quædam alboris oculi nimio rubore rubentia, & oculi etiam ipſius protuberantiam, & obſervaveris, illa quæ inſtillaſti, ex iis, quæ modo deſcripſi remediis, neque ruborem pellere nec tollere, ſed pro tempore tantum ſedare; dein ruborem reverti, in gradu fortiori quam antea fuerat, vel ſaltem ad talem ſtatum, in quo fuerat antequam curationem ejus adgreſſus es; ne jam pergas amplius hæc vel his ſimilia oculo inſtilla-

(*g*) *Arab.* niſi ſumma corroboratione corrobores illa.

(*h*) --- *τα δε βλεφαρα.* Gr. pag. 253. lin. 7.

(*i*) *Mamithſæ* ----- Glaucium PLEMPIO pag. 198. ----- EBN BEITAR ſic habet; " *Mamithſa:* nomen Nabathæum
" plantæ, papaveri maritimo, corniculatum dicto, ſimilis; ad
" imum *Mamithſæ* humiditas eſt, quæ digitis viſcum uti ad-
" hæret: florem habet flavum, uti papaver prædictum. Siccum
" eſt in ſecundo gradu; ſtypticum. Quod ſub hoc nomine di-
" venditur, eſt vel ipſa herba trita, in globulos coacta, vel
" ſuccus herbæ defæcatus, qui inſpiſſatur, & ſiccatur, in glo-
" bulos formatur. Optimum eſt quod fractu facile, odore gra-
" vi, ſapore amaro: quando in aqua liquefit, flavus eſt liquor.
" Ex validioribus remediis eſt, in tumoribus calidis, in inci-
" piente ophthalmia & palpebrarum calore, &c".

re; ſed inſtilles illi pauxillum (k) *Almuri* (Gari, i. e.) *Nabathæi*, in qua nec aceti quid ſit, vel quicquid acidi omnino.

Variola (l) *quidem, quæ in tunica adnata exit, viſum non offendit:* quæ vero variola in *tunica*

(k) *Al.* Muri, *Arab.* ---- Gr. verſio pag. 253. lin. 14 15. -- και ϛαλαξον γαρον εξ αρτȣ κατασκευασθεντα. ---- Gari hujus conficiendi modum tradit EBN GIAZLA in libro *Menbadg*: verſum autem, ſic ſonat. *Muri* ---- quod ex hordeo paratur calidum, ſiccum ad tertium gradum: dicitur etiam calidum in primo, ſiccum in ſecundo *gradu*. Humores craſſos attenuat & abſtergit; phlegma purgat, oris fœtorem tollit; confert contra ulcera putrida, dolorem coxæ & ſciaticam, & ventriculi humiditatem. In clyſtere colico dolori medetur: juvat etiam contra morſum canis rabidi. Parandi modus eſt ut ſumantur pulegii, farinæ tritici bonæ fortis, ſingulorum libræ XXX. Farina bene pinſatur abſque fermento & ſale, & in panem formetur, qui ad ſiccitatem coctus ſit. Dein una cum pulegio teratur, bene ſubigantur ambo in hydria cum XX. libris ſalis, cui admiſceantur duæ quartæ partes fœniculi, & una quarta pars melanthii. Mixtura iſta in ſole poſita ſit XL. dies in ſole æſtatis, quotidie ter pinſenda, mane ſc. meridie & veſperi, inſperſa aqua; quando nigreſcit, in vaſe vitreato ſeponatur. Affundas huic maſſæ parem quantitem aquæ; linquas XIV. dies, mane & veſperi quotidie agitando. Quando fermentatio inceperit, ſinas donec ſedata ſit; quando ſedata eſt, defæca. Fæces iterum in hydriam rejicias, & in ſole reponas duas adhuc hebdomadas, parem adfundens aquæ de novo quantitatem, mane & veſperi ut ante agitando; dein priori liquorem defæcatum admiſceas & in ſole linquas. Fæces hydriæ immitantur denuo, & tertia vice idem fiat omnino proceſſus, uti antea in ſecunda; hic liquor etiam tertius defæcatus priori commiſcendus eſt. Cui vero ſalſitudo ejus ingrata eſt, ille in vas injiciat liquori prædicto jujubas ad libras iij ſs. Quidam poſt defæcationem injiciunt *dibs*, ſive melleum liquorem dactytorum, vel mel, ut edulcoretur; i. e. *dibs*, ſive mel dactytorum coquitur quouſque nigreſcat; & ad ſingulas hujus libras, miſcentur *Muri* libræ decem, cui additur crocus, vel cinnamomum, & reliqua aromata odorifera.

(l) *Variola quidem*, &c. Hæc ex Gr. Interpr. ſupplentur ---- ἡ δε λοιμικη ἡ εξενεχθεισα εν τῳ επιπεφυκοτι, ȣ λυπει την οψιν. ἡ δε εκφυομενη εν τῳ κερατωειδει, κατεναντι της οψεως, εμποδων καθιϛαται τη θεᾳ, παροσον και την οψιν καλυπτει, κατ' αναλογιαν της παχυτητος και της λεπτοτητος, pag. 253. lin. 15-17.

cornea erumpit, homini ſit obſtaculum, *quatenus oculum contegit;* pro ratione craſſitiei ejus, vel tenuitatis. Neceſſarium eſt igitur, ut poſthac curetur, remediis quæ diſſolvunt maxime, & fortiter, ex iis quæ memoraturi ſumus. Fortaſſe proſperum habebunt eventum fortaſſe ſecus etiam, pro craſſitie ejus, vel ſi fuerit in corpore duro vel annoſo. Et ſi prodierit variola una magna, in tunica oculi rhagoide, collyrium cum aqua roſarum conteras, & oculo inſtilles ſæpius in die, & pulvillum & ligaturam oculo infigas; vel inſtilles ei ex [*m*] *Sief* (collyrio) ſupra memorato, poſtquam crocus inde ſit ademptus, & addita ſit una pars lapidis hæmatitis, ne accidat prominentia magna. Et hæc ſunt, quæ in hoc loco, de negotio oculi ſcitu neceſſaria ſunt. Poſt hanc oculi curam, de gutture etiam, & ore curandum eſt, ne quid in alterutro erumpat, quod ægrotanti noxam adferat gravem, vel reſpirationem ejus præpediat. Sæpius enim cum variolis pravi moris, accidunt ſtrangulationes difficiles, vehementes; & cum res ita ſe habet, de ſalute & convaleſcentia ægroti nec minima ſpes reſtat: quapropter oportet, quam primum ſigna variolarum ceperint adparere, ut gargarizet æger, & colluat fauces, ſucco mali Punici acidi, vel infuſo *ſumach*, vel rob de moris, vel his ſimilibus, ex iis quæ in [*n*] capitulo de exſtinguentibus jam recenſuimus; vel aqua pura frigida, (ſi nihil aliud præſto ſit,) multis vicibus, ne quid in gutture ex ore ejus erumpat, vel ut id

[*m*] Vide not. i. pag. 247.

[*n*] Vide Cap. V. pag. & ſeq.

quod erumpat non ſit nimium. Ideoque hæc loca corroborare, ne recipiant, nec plures ſint *puſtulæ*, unde ſtrangulatio oriatur; ad hoc igitur remedium celeriter confugito, & ſedulo utaris, quando variolarum ſigna comitem habeant vocis raucedinem, & anguſtiam in reſpiratione, & in iſthmo faucium; & gutturis aſpredinem & dolorem. Porro ſi obſervaveris hæc ſymptomata vehementia valde, etiamſi eruptio puſtularum jam ſit abſoluta, nihilominus ex vena cephalica fiat ſanguinis detractio. Et ſi quid ſit in ore ægroti, vel in gutture ejus, quod illum lædere poſſit, & non ibi multa caliditas, & alvus non laxa ſit; fac lambat æger paulatim, de butyro recenti & ſaccharo [*o*] cando (*Tabarzad*). At ſi caliditas adfuerit & inflammatio, fac lambat looch ex ſemine pſyllii, amygdalis decorticatis, & ſaccharo cando (*Tabarzad*).

Sumatur amygdalarum dulcium decorticatarum pars una; ſeminis cucurbitæ partes duæ; ſacchari candi (*Tabarzad*) partes tres; mucilaginis ſeminis pſyllii quantum ſufficit ut fiat looch. Quod ſi alvus laxa ſit, paretur looch ex gummi Arabico, amygdalis decorcatis, [*p*] ſemine cucumeris anguini, & amylo, quæ omnia mucilagine ſeminum cydoniorum ſubigantur.

Poſtea curam geramus articulorum: nam fortaſſe in illis erumpent variolæ plurimæ, admodum pravæ, quæ articulos corrumpunt, adeo ut inde oſſa & ligamenta & tendines pateſiant. Fe-

---

[*o*] vide not. o. pag. 235.

[*p*] Gr. verſio pag. 254. lin. 2. και σπέρμα τετραγγέρε.

ſtina igitur quamprimum ſigna variolarum conſpexeris, & præcipue ſi fortiora & vehementiora eſſe videris, & humore refertas *puſtulas*; feſtina, *inquam*, ad articulorum curam, eoſque illinito ſandalo, [q] *Mamithſi*, luto armeno, roſis, camphora, aceto, & aqua roſarum: at illinendo, ultra articulos ne multum progrediaris. Et ſi puſtulæ in iis magnæ prodierint, cito propera illas perforare, & humorem educere; nec in hoc perficiendo longo tempore cuncteris, inde enim periculum erit magnum.

Poſtea ad naſi & auris curam accedamus, ne quid in illis magnum prodeat; ex larga enim in his eruptione, ægroto damnum oriturum eſt. Ex eruptione etiam in interiore auris periculum eſt manifeſtum. In naſum igitur quotidie immittas oleum roſarum calidum, in quo camphora ſoluta ſit: & in interiorem aurem inſtillato acetum rubrum tepefactum, cui admiſtum fuit (ſief) collyrium ex *mamithſa*, vel lycio Indico, ſuper impoſito goſſypio modico. Hoc bis vel ter quotidie fiat. Et ſi acciderit in planta interiore pedis dolor vehemens, illico des operam huic inungendæ cum oleo tepido, & cum aqua calida fovendæ, ope panni goſſypini. Quodſi dolor hac *medela* minime quieſcat, neque variolarum exitus facilis reddatur, ſeſamum decorticatum cum lacte contundito, eoque illinito, & cum panniculo ligato, atque ita ſinito per totam noctem, dein in aqua calida foveto, & poſtea linimentum repetas. Vel dactylos in butyro contundito & illinito, vel illinito cum amurca olei Ben (nucis

---

[q] Vide not. i. pag. 247.

unguentariæ). Hæc enim & ſimilia emollient reſolventque cutim, eruptionem variolarum facilem reddent, & minuent dolorem.

CAPUT VIII.

De illis rebus quæ maturant variolas.

QUANDO variolas obſervaveris, poſt abſolutam eruptionem earum, tardius ad maturationem tendere, & ſtatum ægroti ex eruptionem earum optime ſe habere, eodemque modo & ſpiritum & pulſum, inquietudinem etiam & moleſtiam *evanuiſſe*, oportebit, ut cures de earum maturatione. Et ſi videris illas, poſt eruptionem, cum difficili maturatione duras eſſe & verrucoſas, nec amplius ſtatum ægroti bene ſe habentem; vel ſi aucta ſit inſuper ejus pravitas, certo ſcias variolas eſſe lethales: maturationem earum igitur ne coneris, ex iis ſunt enim, quæ ad maturitatem perduci nequeunt.

Maturatio tamen variolarum, (modo ſint ſanabiles) fit vaporando eas cum vapore aquæ calidæ, vel aquæ in qua prius decocta fuerint chamæmelum, violæ, melilotus, althæa, furfur tritici, vel ſeparata, vel compoſita; in duabus pelvibus uti antea diximus, ubi de facili reddenda variolarum eruptione diſſeruimus. Et ſi eo tempore ægrotus ex vaporatione levamen ſenſerit, ab illis ſuffitibus abſtineat, quibus fieri ſolet fumigatio ad *puſtulas* ſiccandas, quouſque penitus maturæ fiant, & ferre poſſint id, quod ad deſiccationem earum erit neceſſarium: de qua re mox dicturi ſumus.

CAPUT IX

De illis rebus quæ deſiccant variolas.

Oportet ut omnes ex illis, quæ magnæ ſunt & enormes, ſcarificentur; & ut humor qui ex iis diſtillat, excipiatur panno leni mundo, in quo nil ſit, quod cutim excoriet vel lædat. In eodem tempore ſuffitus adhibeatur, ex foliis roſarum ſiccis, vel ex foliis myrti, vel ex ſantalo, vel iride, vel tamariſco. Roſæ quidem in æſtate magis conveniunt, in hyeme tamariſcus.

De variolis etiam nimiæ humiditatis, *curandum eſt.* Igitur quando humiditas abundat, ſomnum inire jubeto ſuper roſas tritas, vel farinam oryzæ, vel farinam milii, infarcta in pannum telæ rarioris texturæ. Et ſi excoriatum ſit corpus ejus, ſupponito ei folia iridis recentia, & inſpergito illis pulverem aromaticum, & roſas & myrtum: quod ſi quis locus exulceretur, huic inſpergito pulverem aromaticum rubrum compoſitum ex aloe & thure, & ſarcocolla, & ſanguine draconis. Et quando vel ſponte, vel ex aquæ abundantia diſrumpuntur *puſtulæ*, nec ad arefactionem feſtinent; tum ſalito eas. Sumas nimirum unciam unam olei ſeſami, cui immiſceas drachmas duas ſalis [r] *Andareni:* collyrii inſtar contriti, & parem quantitatem aluminis. Dein hoc linimento corpus ejus inungito, iis tamen

[r] Salis *Andareni. Andar* vicus uno milliari diſtans ab Halebo, ubi ſal candidiſſimus effoditur, & qui auctore Ebn Bektar omnium optimus & puriſſimus eſt.

locis exceptis, quæ ſint excoriata & ulcerata. (Haud enim oportet illud iis locis admovere; morderet enim vehementer). Sinas ſuper corpus manere hora una, dein abluito cum aqua, in qua antea decocta fuerint myrobalani emblicæ, & baccæ tamariſci albæ, & folia myrti, & cortices granatorum; & ſi abſoluta ſit ita deſiccatio earum, *bene*: ſin aliter, ſumatur bolus Suſiana alba, vel bolus alba qualiſcunque ſit, (ne vero ſumatur bolus colore rubro); cui admiſceas, ſalis Andareni partem circiter decimam, & decimam etiam partem aluminis, & illinito; & ſinas *manere* horæ unius vel duarum ſpatio, dein abluito.

Jam ſequitur ablatio eſchararum, & corticum ſiccorum.

CAPUT X.

De iis quæ auferunt cortices ſiccos, ſive ſquamas, & ἐσχάρας.

QUANDO deſiccatio variolarum jam abſoluta eſt, & cortices & eſcharæ ſiccæ remanent in corpore, inſpice quænam harum ſint tenues, perfectæ ſiccitatis, ſub quibus nulla ſit humiditas; & iis inſtilla oleum ſeſami tepefactum vice poſt vicem, quoad molleſcant, & excidant omnes, præter illas quæ in facie ſunt, has enim oportet cures cum oleo piſtachino. Quæ vero ex iis, eſcharis ſunt ſimiles, habentque magnitudinem aliquam, ſi videris illis ſubeſſe humiditatem, has excoriando leniter auferto, ſine oleo. Si quæ vero ſint *loca* unde, eſcharæ amotæ fuerint, quæ multam humiditatem ſubtus non

habeant, iſtam goſſypino panno detrito, ut ante dixi, excipias. Quod ſi plus humiditatis habeant, illis inſpergito pauxillum pulveris aromatici rubri, & præcipue, ſi minimæ ſint profunditatis: aluminis autem & ſalis, ſi æquales ſint cum ſuperficie corporis, & nequaquam profundæ. Et ſinas donec ſuccreſcat *cuique* eſchara ſua. At ſi ſub his etiam fuerit humiditas, curam repetas eandem. Quod ſi ſubtus illas non ſit humiditas, inungito, ut molleſcant & decidant.

Hunc ſequetur ſermo de veſtigiis delendis

CAPUT XI.

De illis rebus quæ veſtigia variolarum auferunt.

VESTIGIA variolarum duplicis ſunt generis: nimirum vel in oculo, vel in corpore *reliquo*. Veſtigium in oculo, locum ubi *puſtula* fuerat albugine contegit, uti memoravimus. Id quando contingit in oculis puerorum, eorum ſcilicet, qui corpore ſunt humido, & cute tenuiori, facilius detergitur. Ex iis autem quæ hanc detergendi vim habent, ſunt (*s*) *Baurak* panis

[*s*] *Baurak panis* ---- ſive piſtorum. Gr. verſ. νιτρον γαγγραινον. EBN BEITAR ſic habet; *Baurak* variæ ſunt ſpecies --- eſt enim vel naturale, vel artificiale: naturale eſt vel concretum, vel in ſuis fodinis petrefactum, vel album friabile Armenum, quod omnibus melius & præſtantius eſt; eſt etiam rubrum, quod *Natrown* appellatur; eſt & pulverulentum *Baurak*, piſtorum nomine inſignitum; hoc enim in aqua ſoluto, placentarum ſuperficies liniunt piſtores, antequam in furnum condant, adeoque conciliant illis albedinem & ſplendorem, quæ cito tamen poſtea evaneſcunt, &c.

& ſal *Andarenus* (*t*), & ſal ammoniacus, & ſpuma maris (ſpongia), & (*v*) *Maſſahhakownia*, & cancer marinus, & ſtercus paſſerum, & hirundinum, & ſturnorum, & fimus murium, & fimus lacertæ, & acorus, & ebenus, & (*x*) *Mamiraan*, & corallium & tutia, & lapis hæmatites, & ærugo æris, & (*y*) ſaccharum *Hedgiazi*, & fæx aceti uſta, & ſedimentum urinæ, & myrrha, & ſandaracha, & gummi oleæ, & gummi amygdalæ amaræ, & lacteus humor lactucæ ſylveſtris, & vitrum, & fimus veſpertilionum, & moſchus. Quando cum his curam aggredieris, optimum erit, ſi *id facias*, vel poſt egreſſum e balneo, vel poſtquam prona facie aquæ calidæ vapores exceperit. Oportet etiam ut adhibeas leniora, imo leniora, *inquam*, ex his, in corporibus mollibus & humidis.

Forma medicinæ lenis, quæ tollit albuginem.

Inſpergatur *oculo* ſarcocolla cum ſaccharo cando (*Tabarzad*).

Alia ea efficacior.

[*t*] Vide not. r. pag. 253.

[*v*] *Maſſahhakownia*. An ſit vaſorum vitreatorum raſura, an ſcoria vitri, an quid aliud, minime conſtat Ad corneæ maculas & albugines in collyriis uſurpatum eſt, a *Rhaze*, *Avicenna*, *Lanfranco*, *Guidone*, &c. Vide *Guidon.* de Cauliaco (Lugd. 8°. 1559) pag. 374 375. Secundum Cl. MEAD eſt fæx ſeu ſcoria vitri.

[*x*] *Et Mamiraan* Gr. Interpr. μαμηρα. --- Cl. MEAD aqua corni. --- PAUL. lib. III. pag. 35. lin. 20; τȣτο καλως και πραως αποσμηχει, μαμιρα, αμμονιακȣ θυμιαματος, σμυρνης τρωγλοδυτιδος, κροκοδειλων κοπρȣ ισα, ποιει κολλυριον. Et pag. 113. μαμιρας --- οιον ριζιον τι ποας εςιν εχον ωσπερ κονδυλȣς πυκνȣς. ὅπερ ȣλας και λευκωματα λεπτυνειν πεπιςευται. δηλονοτι ρυπτικης υπαρχον δυναμεως. PAUL. ÆGINETA (ALDI Venet. fol. 1528) pag. 113. lin. 25-27.

(*y*) *Et ſaccharum Hedgiazi* --- Arabiæ ſc. Petreæ ſaccharum. AVICEN. ex arundine more lachrymæ collectum, extergit oculum.

Inſper-

Inſpergantur ſpongia, ſpuma maris dicta, & ſarcocolla, & ſaccharum.

Et adhuc hac magis efficax.

Si inſpergantur *Baurak* panis, & ſpuma maris, & *Maſſabhakownia*, & ſarcocolla, & ſaccharum, *commiſta*.

Hac etiam efficacior.

Si ſumantur æruginis æris drachmæ decem.

Sagapeni, ſalis ammoniaci, ſarcocollæ, ſingulorum drachmæ duæ cum dimidia.

Spuma, maris, *Maſſabhakownia*, & *Boracis* panis, ſingulorum tres drachmæ.

Et ſumantur drachmæ decem calami aromatici, & æquale pondus *Mamirâan*, & coquantur in aqua ad decies amborum pondus, quouſque aqua craſieſcat; in qua ſolvantur ſolubilia (gummi ſc.), & ſubigantur reliqua, & in (*Sief*) trochiſcos ophthalmicos formentur.

Et quando opus ſit, hujus medicinæ quid cum aqua lævigetur (z) in mortario ebeno, adeo ut miſtura ſpiſſa fiat; & cum hac in ſpecillum impoſita, locus bene fricetur ſæpius. Ante hujus vero, & poſt uſum ejus, oculus ſæpius lingua lambendus erit; deinde pulveres inſperſorii lenes inſperguntur. Oculum vero ſedulo & aſſiduo inſpicias; & ſi doleat & rubeſcat, omitte curationem diebus aliquot, deinde repetatur. Eſt enim curatio maxime valida.

Medicamenta vero quæ tollunt veſtigia earum a facie, & corpore, hæc ſunt. Lithargyrus de-

---

(z) Quid ſibi vult in hoc loco [vox Arabica] plane neſcio [*ait* Cl. Channing], mendam ſubeſſe ſuſpicatus ſum librarii *vocem unam pro alia* ſcribentis.

albatus, & radices arundinis ſiccæ, & oſſa carioſa, & ſpuma maris, & corallium, & ſarcocolla, & amygdalæ, & ariſtolochia, & baccæ Ben, & ſemen raphani, & ſemen peponis, & ſemen erucæ, & farina fabarum, & oryzæ, & lupinorum, & phaſeolorum: hæc illinantur mixta cum aqua oryzæ contuſæ, vel cum aqua hordei.

Deſcriptio linimenti, quod tollit veſtigia *variolarum.*

Farinæ cicerum, & fabarum, ana drachmæ tres.

Seminis peponis drachmæ quinque.

Lithargyrii dealbati drachmæ duæ.

Radicum arundinis ſiccatarum drachmæ tres.

Hæc omnia ſubigantur in aqua hordei, & illinantur, illitu uno poſt alterum, poſtquam æger capite prono vapores aquæ calidæ acceperit, vel poſt exitum e balneo. Deinde in balneo ablutus ſit, cum aqua, in qua prius decocta fuerint cortices peponis, violæ ſiccæ, furfur, & ciceres contuſi. Cutis etiam probe fricetur: dein repetatur illitus.

Deſcriptio linimenti eo efficacioris.

Sumantur farinæ fabarum rotundarum (*a*) *lupinis affinium*, drachmæ quinque.

Amygdalarum amararum, coſti dulcis, ſeminis erucæ, ſeminis raphani, ſingulorum drachmæ duæ ſemis;

Et adhibeatur prout præſcripſimus.

Linimentum aliud, illo adhuc efficacius.

(*a*) *Lupinis affinium:* EBN BEITAR --- eſt & hujus fabæ ſpecies quæ copta vocatur; quam *Giamſeh* [i. e. fabam Ægyptiam] illi vocant: parva eſt & fere rotunda. Qui lupinum eſſe cenſet, hallucinatur vero. Erroris cauſa eſt, & figuræ ejus & virtutis cum lupinis ſimilitudo, &c.

Amygdalarum amararum decorticatarum drachmæ quinque.

Seminis raphani, ſeminis erucæ, coſti, ariſtolochiæ longæ, ſingulorum drachmæ duæ cum dimidio;

Boracis panis drachmæ tres.

Piperis drachma una ſemis. Uſurpetur ſicuti diximus antea, & illinatur vel mixtum cum aqua raphani, vel cùm iis quæ præſcripſimus. Atque hæ ſunt res; quæ auferunt veſtigia variolarum, & cicatrices.

Jam quoad illas res, quæ cavitates implent, & æquales reddunt reliqui corporis ſuperficiei — id *curet* homo; & pingue reddat corpus, & carnoſum, frequens ſit & ſedulus in balnei uſu, & in corporis frictione.

Nunc autem dicamus de illis, quæ variolis laboranti exhibere oportet alimenti gratia: & de medicamentis in curando uſurpandis.

CAPUT XII.

De alimentis variolis laborantis.

OPORTET ut bibenda præbeatur variolis laboranti aqua hordei, eadem arte & methodo parata, ac illa quæ bibenda præbetur in morbis acutis: ſi febris mitior ſit & pacatior, & alvus minime laxa, cum ſaccharo cando (*Tabarzad*): at ſi calor febrilis vehementior ſit, & alvus laxa, huic utique adfundatur, quantitas ejus dimidia ſucci mali Punici acidi, contuſi cum granis ſuis. Caveas autem a pulpa, & internis tunicis tenuibus ejus, iſta enim ſolvent

alvum. Quod ſi his adſint vigiliæ, cum hordeo decorticato injicito in *cremore* hordei parando, quaſi partem dimidiam papaverum. Et ſi alvus maxime laxa fuerit, miſceas hordeum decorticatum, ſemina mali Punici ſiccata, & papaveris, pari quantitate ſingula. Et ſi alvum coercere neceſſe fuerit, loco decorticati hordei, ſubſtituas (*b*) *Sauic* hordei antea præparatum, cum (*c*) *Sauic* granorum mali Punici, quæ ambo coquantur, ad morem aquæ hordei parandæ, & de his bibat, ut de aqua hordei, vel per ſe, vel cum *Tebûshir*, & gummi Arabico, ſi laxitas alvi ad hæc adhibenda te coegerit: vel cum medicamentis, quæ nos poſt hac præſcripturi ſumus. Aqua hordei profecto commixta cum ſucco mali Punici acidi, laboranti variolis ſumme utilis eſt; morbillis autem laboranti, præcipue.

Aqua etiam cucurbitæ, & aqua peponis Indi, & aqua cucumeris anguini, & mucilago ſeminum pſyllii, & his ſimilia, ex iis quæ gignunt phlegma molle, dulce: hæc quidem illi, qui morbillis laborat, utilia ſunt magis, quam illi qui variolis laborat: per Deum! niſi *tales* variolæ ſint, quas comitatur extrema pravitas, & calor ex febre vehementior, & vigiliæ.

In illis vero *variolis*, quas comitantur febres

(*b*) Vide not. a. pag. 229.

(*c*) *Cum* Sauic *granorum mali Punici* ---- cum granis mali Punici torrefacti: EBN BEITAR ---- *Sauic* nomen Arabicum eſt pulveris ex molitura eſculentorum aridorum granorum, vel ſeminis fructuum Hujus parandi modus eſt, ut ſuper ignem torreantur, ut humiditas tollatur eorum, deinde mola comminuantur. Id in granis fit, in fructibus ipſis nequaquam. Hoc eſt *Sauic*, *Sauic* porro, cujuſque rei ſit, ſubſtantiæ ex qua paratur conſentaneum eſt; aucta vero ſemper ſiccandi virtute.

quibus non adeſt vehemens inflammatio; hæ res ſane, & his ſimiles, *morbum* quam maxime reddunt tardum, & morbi tempus protrahunt: his igitur utaris, habita morbi ratione. Etenim variolæ, quando quidem in pleriſque earum caſibus ortum habeant ex calore putrido in humiditatem agente; illæ res variolis magis conveniunt, quæ cum refrigerandi facultate, deſiccandi pariter & inſpiſſandi vi conjuncta pollent, uti e. g. ſuccus mali Punici, & uvæ acerbæ & his ſimilia. Morbilli autem, quoniam ex vehementi ebullitione bilis in ſanguine gignantur, res illæ his magis ſunt ſalutares, quæ cum vi earum refrigeratoria humectant etiam, ut per has temperetur ſanguis corruptus; ſanguis enim hominis qui morbillis laborat, quodammodo ſimilis eſt aquis ſtagnantibus, quarum corruptio jam diuturna fuit; & quarum bonitas & ſubtilitas a coctione ſolis ſolvuntur & evaporantur; adeoque gravis fit earum acrimonia & pravitas. Atqui quando illis admixtæ ſunt pluviæ, & aquæ fluentes dulces, ab his ſanæ redduntur. Porro variolis ægrotanti prodeſt *Sanic* hordei abluti, quando bibitur cum ſaccharo, vel cum ſucco granatorum, vel cum (*d*) julepo, pro illa ratione quam exigat, vel alvi laxitas, vel ſiccitas ejus; & pro caloris ebullitione vehementiori, vel remiſſiori. Verumtamen aqua hordei illi qui variolis laborat, eſt ex ſumptu levior, & deſcenſu

(*d*) *Vel cum julepo* Arab. Vox a Perſic. derivata quæ ſignificat aquam roſarum. Vid. Mesue [Venet. fol. 1602] fol. 128. col. 4. fol. 129. col. 2. " Julapium alterum roſarum, fit ex " aquæ roſarum libr. iij, ſacchari libr. duabus ".

facilis; melior etiam & magis ſalutaris & gutturi & pectori ejus. Pro horum ratione tu facias igitur, poſtquam noveris, aquam hordei magis convenire morbillis ægrotanti, *in genere*, quam variolis; niſi variolæ ſint pravi moris: uti memoravimus.

Variolis etiam laboranti, proficuæ ſunt lentes excorticatæ, quando alimentum ejus ex illis paratur, cum ſucco mali Punici acidi, vel aceto. Proficuum eſt illi etiam *Sauic* lentium, quando bibitur cum aqua frigida. Scias inſuper, aquæ frigidæ potionem, illi qui morbillis ægrotat magis convenire, quam variolis laboranti, & magis eſſe ſalutarem, & exitu certiorem. Atque adeo, quando cum variolis obſervaveris inflammationem abundantem, & pulſus & reſpirationis crebritatem vel intermiſſionem; pro horum ſymptomatum ratione exſtinguentibus utitor; ſi pauca ſint, nimirum paucioribus; ſi graviora, pluribus. Nequaquam vero pullorum avium permittas eſum, priuſquam redierint & pulſus & reſpiratio ad ſtatum amborum naturalem; nec priuſquam ſiccatæ fuerint puſtulæ, & deciderint earum ſquamæ.

Jam vero ſequetur ſermo de ventris vel ſolutione, vel reſtrictione in variolis.

CAPUT

CAPUT XIII.

De (e) regimine alvi ejus qui variolis laborat.

IN pleriſque caſibus alvus ſoluta eſt in declinatione variolarum & morbillorum; in morbillis præcipue. Et ob eam cauſam oportet, id omne evitare quod ſolvat ventrem, poſtquam (*f*) ad finem perductæ ſint variolæ & morbilli, etiamſi ſiccus ſit. At contra quando ſolutus eſt, id omne penitus eſt devitandum ab ipſo rei (*morbi*) initio: quanquam in initio amborum, & ante declinationem, ventris lenientia quodammodo ſint neceſſaria. Ad hæc enim *adhibenda* quandoque coactus eris in variolis, interdum propter exceſſum caloris, & cephalalgiam; interdum etiam ut levis reddatur natura, & minuatur materia variolarum, quando iſtam conjeceris eſſe abundantem. Id erit autem, ubi poſt vel ante ſanguinis extractionem, obſervaveris corpus nec debilitatum eſſe, neque extenuatum,

(e) Gr. verſio --- " Περι επιμελειας γαστρος των συσχεθεντων
" τη λοιμικη".
" Η γαστηρ ως επι το πλειστον διαχωρειται εν ταις παρακμαις
" ταυτης της νοσου, και μαλλον εν τη ευλογια. Ευλαβητεον τοιγαρ-
" ουν προσφερειν ταυτα τα υπαγοντα μετα κριθηναι την νοσον, ει
" και οτι μαλιστα ξηρα εστιν. ει δε δεοιτο εν τη αρχη, και προ της
" παρακμης προσφερε' τομεν δια την υπερβαλλουσαν θερμοθητα, και
" τον της κεφαλης σφυγμον, το δε δια το κουφισαι την φυσιν,
" και ελαττωσαι την της νοσου υλην, οταν κατα πολυ ἡ γαστηρ
" εξηραται και επεχηται", &c. Græcum textum exhibui, utpote Auctoris ſenſum optime exprimentem. In Arabico, vel corruptelam eſſe ſuſpicor, vel ordinem verborum quodammodo eſſe mutatum.

(*f*) *Ad finem*, &c. Gr. verſ. μετα κριθηναι.

atqui inflatum contra, & plenum cum coloris albore, vel exilitate ruboris, & undulatione in pulſu. Nonnunquam enim in tali ſtatu, non erit neceſſaria detractio ſanguinis, verum nimirum humiditatem in corpore minutio. Id vero conſtabit, quando hæc ſigna evidentiſſima fuerint; item corpus una repletum, & veluti furunculis obſeſſum, cum febris hebetudine; & rubro colore prorſus deſtitutum. In hoc igitur ſtatu, ex rebus maxime convenientibus eſt decoctum myrobalani citrinæ per ſe, quando bibitur cum ſaccharo (*Tabarzad*) cando, & ſucco mali Punici acidi contriti cum pulpa ſua, cui ſuperaddi poteſt pulpa mali Punici alterius, vel duorum etiam, quando tali opus eſt auxilio. Horum enim amborum remediorum vis ea eſt & proprietas, præcipue vero mali Punici, minuere ex corpore humiditates abundantes, atque una bilem modicam, abſque caloris excitatione: & poſt ſe linquere ſiccitatem in alvo. Atqui hæc ſunt optima omnium, quæ in hoc loco morbi poſſint evenire.

In morbillis autem, adhibeas aquam (i. e. *ſuccum* vel *decoctum*) prunorum Damaſcenorum, vel pruna ipſa, recentia ſc. vel in julepo macerata: his utaris cum ſaccharo. (*g*) Mannæ vero ſpeciem, *Terengiabin* dictam nequaquam adhibeas; his enim æque noxia erit, ac mel illis qui variolis laborant, ex crapula *quam excitabit:* augebit in illis etiam ſyncopen & moleſtiam. —

[g] *Mannæ ſpeciem*, &c. --- *Terengiabin* --- ros eſt qui plerumque cadit in Chorasan & Mawro'lnahar; in regione noſtra copioſiſſime cadit in plantas generis ſpinoſi. AVICEN. in *Terengiabin*. pag. 262. lin. 37. & ſeq.

Eodemque modo caveas etiam, ne illis bibendum præbeas lac dulce & violas; etenim hæc utraque augebunt ſyncopen & moleſtiam in illis, quibus jam adfuerint. Quemadmodum autem in variolarum curatione, primum eſt & maxime neceſſarium ſanguinis detractio quando nimius eſt, atque vim ejus compeſcendi nulla eſt ſpes per uſum exſtinguentium; oportebit ergo partem ejus detrahere, ut natura ſublevetur, & ut minuas vaſorum ſanguineorum plethoram, & turgeſcentiam, & extenſionem ex nimia ejus quantitate: ſecus enim ab accidentibus & ſymptomatis malis minime tutus erit *æger*; præcipue vero quando *ſanguis* incaleſcit adeo, ut in eo exhalatio abundet. Eodem etiam modo oportebit, ut in initio morbillorum, aliquid bilis detrahatur, quando videris illam redundantem & nimiam: deinde ut exſtinguentibus reliquiis ejus occurras. Signum vero redundantiæ bilis eſt, vehementia inflammationis, & moleſtiæ, uti etiam, bilis per vomitum vel per dejectiones alvi evacuatio: & oris amaritudo. Et ſi quantitas ejus non ſit nimia, nihilominus quando adfuerint moleſtia, & ſitis, & calor vehementes, & bilis nec per vomitum nec per alvum evacuata eſt, non quantitate ſed qualitate prava nocere æſtimanda eſt, pro vehementia inflammationis & moleſtiæ. Hæc vero ſunt, quæ te ſcire neceſſarium eſt, de regimine ſolutionis alvi in principio horum duorum morborum. Verum enim vero, quando (*in principio*) natura laxa fuit, nequaquam adhibeas quidquid ſolutivum. In his enim duobus morbis, a nimia laxitate alvi minime tutus (*æger*) erit, quando in alterutro eorum, quid bibat quod ſolvat ventrem. Quando igitur fluit alvas, vice aquæ hordei biben-

dum præbeto aquam *Sauic* hordei. Et ſi ad id coactus ſis, una cum *Sauic* hordei coquas [*h*] *Sauic* granorum mali Punici: & ſi alvus ſumme laxa fuerit, fac bibat, etiam cum gummi Arabico & *Tebâſhir*.

Sumantur gummi Arabici drachmæ duæ, [*i*] *Tebâſhir* drachma una: contundantur inſtar collyrii minutiſſime, & inſpergantur in uncias quatuor aquæ *Sauic* hordei, & bibendum præbeto, ſi alvus valde laxa ſit. Bibendum præbeas autem, horæ unius ſpatio priuſquam biberit aquam (*Sauic*) hordei, de medicina hac, quam mox deſcripturus ſum, dein aquam *Sauic* hordei bibendam præbet.

Deſcriptio ejus.

Sumantur roſarum rubrarum molitarum, & *Tebâſhir*, & ſeminis oxalidis, & ſumach, & berberum, ana partes æquales, gummi Arabici & terræ ſigillatæ, & corticum papaverum & balauſtiorum, ſingulorum pars dimidia. Ex his bibantur drachmæ tres ex uncia una rob mali Cydonii vireſcentis acidi. Quodſi in iis perſeveret alvi fluxus, & ex illo debilitati ſint, bibendum præbeto [*k*] *Al-Raib* acidum, cui ſumma cura cremor ademptus ſit, cum pane biſcocto optimo, ſumme cocto, & pauxillo gummi Arabici. Sæpe etiam accidit illis dyſenteria. Oportet ergo, hujus curationem tunc deſumere, ex loco ubi illam antea deſcripſi.

Jam vero dicamus de ſalutaribus, vel lethalibus variolis & morbillis.

[*h*] Vide not. c. pag. 260.
[*i*] Vide not. n. pag. 233.
[*k*] Vide not. g. pag. 231.

CAPUT XIV.

De ſalutaribus, vel lethalibus variolis & morbillis.

VARIOLÆ & morbilli ex *numero* ſunt acutorum calidorum morborum, atque inde eſt, quod cum illis multa habeant communia: ut ſigna etiam in morbis acutis calidis, (ſalutem vel) interitum indicantia. Salutaria quidem ſunt, reſpiratio bona, intellectus ſanitas, & adpetitus ad cibum capiendum, & agilitas ad motum, & pulſus bona habitudo, ægroti contemptus morbi ſui, diſcubitus commoda diſpoſitio, pauca corporis jactatio, & pauca inquietudo. Et eodem modo de ſignis lethiferis, quæ memoravimus olim ſummarie & vere, in libro *Al-Manſouri.*

Quæ vero ſunt propria & peculiaria variolis & morbillis, hæc ſunt. Variolæ albæ, magnæ, diſcretæ, numero paucæ, exitu faciles, in quarum febre comitante, nec abundans eſt pervicacia, nec calor, nec mœror, nec moleſtia; & ubi a prima eruptione earum (a prima, *inquam*) & calor, & mœror, & moleſtia, ſedata ſunt; quæ omnia, poſt abſolutam earum eruptionem, abſolute & perfecte quieſcunt: hæ generis maxime ſalutaris ſunt, & minime periculoſi. His in bonitate proximæ ſunt, albæ, magnæ; etſi numero ſint plures & ad invicem propinquæ, vel *cohærentes.* Si ſunt exitu faciles, & exitus earum ſublevaverit ægrum a moleſtia & calore: quemadmodum memoravimus.

Eæ vero quarum difficilis eſt eruptio, & ægrotus, dum exeunt non ſublevatur, pravæ ſunt quidem. Atqui non adeo timendam erit, ubi

ſtatus ægri, dum eruptio fit, minus bene ſe habeat, ac ſi poſtea pejus ſe habeat. Ex albis autem magnis, genus eſt pravum, lethale; & id eſt, ubi ad invicem conjunctæ ſunt, & dilatant ſe adeo ut plures ex illis in unam coaleſcant, & occupent magnum corporis ſpatium, vel evadant inſtar circulorum ingentis ambitus, & adipis colorem referant.

Quoad albas, parvas valde, ad invicem vicinas, duras, verrucoſas, quæ humorem non continent, iſtæ profecto pravæ ſunt: earumque pravitas pro difficultate maturationis earum æſtimanda eſt. Et ſi ab exitu earum non ſublevatus ſit æger, at contra ſtatus ejus peſt abſolutam earum eruptionem male ſe habeat, iſtæ quidem lethales ſunt.

Quæ vero ad viridem & violaceum *vergunt* colorem, quæque ad nigrum, hæ omnes pravæ ſunt, lethales. Et quando cum his accidunt deliquium & cordis palpitatio, pejores ſunt adhuc, & ad perniciem proclives magis. Et quando augetur febris poſt adparitionem variolarum, id pravum eſt, & quando minuitur dum exeunt, id ſalutare eſt *ſignum*. Variolæ etiam duplicatæ, materiæ abundantiam indicant: etiamſi generis ſint ſalutaris, minus ſalutares ſunt: quodſi lethalis, ad interitum ſunt procliviores.

Morbilli maxime ſalutares ii ſunt, qui vehementi non ſunt rubore: fuſci quidem pravi ſunt: virides autem & violacei, ambo plane lethales. Et quando variolæ & morbilli de improviſo intus ſubſidunt, poſtquam cœperint emergere, & cum moleſtia ſimul accidit deliquium, interitus cito deliquium iſtud ſequetur, niſi erumpant denuo. Et quando variolæ adparuerint in primo

die quo febricitare cœpit ægrotus, iſtæ ſane feſtinant, & motu ſunt celeres; & ſi in tertio die adparuerint, mediæ ſunt: atqui quæ quartum præterierint, hebetes & tardæ ſunt. Et quando in diebus criticis bonis eruperint, id ſalutare eſt *ſignum*, præcipue ſi ægrotus poſtea ſublevetur: & contra.

Et quando cœperint variolæ ad invicem connexæ confluere & dilatari, & moleſtia vehemens ſit, & venter inflatus tumeſcat, huic ægroto mors propinqua eſt.

Et quando variolæ parvæ, quæ humorem non ferunt, finduntur, atque una accidit delirium, hujuſcemodi ægrotantis mors eſt in propinquo.

Item quando acciderit, variolas & morbillos ſemel adparere, deinde vero intus ſe recondere, & una oriri moleſtiam & delirium, lethale eſt *ſignum*, cujuſcunque ſint coloris. Hoc vero rurſus accidit in albis, & in illis quæ maturantur, & cito ferunt humores.

Et quando tumultus oritur ſub finem variolarum, & exinde dolor admodum vehemens occupat ægrotum, in crure, vel in manu, vel in quolibet membro, vel *membrum* ad viridem vel nigrum vergat colorem: & ſi vires ejus poſtea debiliores ſint, quam fuerant antea, & evenerit membri illius augeri debilitatem pariter cum augmento doloris, vel ſi ſumme coloratus ſit, id lethale *ſignum* eſt. Quodſi cum his vires ejus redierint, ipſe quidem evadet, & membrum illud putreſcet.

Si vero ſcarifices iſtud membrum, ab ipſo tempore ex quo cœperit dolor illud invadere, modo poſtea ægrotus ſit integer virium, profecto maxime juvabis, vel etiam, a putredine ſerva-

bitur illud membrum, per hanc *praxin*. Porro minime oportet in hujuſmodi caſu, quicquid refrigerans illi membro adplicare, verum, vel ut ſcarificetur, vel in aqua calida ſubmergitur, quando poſtea ſtatam ægri bene ſe habere conſpexeris.

Nunc igitur, quemadmodum percurrimus omnes articulos nobiſmet propoſitos in curatione hujus morbi, & præſervatione ab illo, hic noſtrum ſermonem præcidamus. —— INTELLECTUS AUTEM LARGITORI LAUS SIT SINE FINE, QUA ILLE EST DIGNISSIMUS ET MERENTISSIMUS.

EXPLICIT LIBER.

FREIND *Opera. Lat.* (Lond. 1733. fol.) pag. 333. — FREIND *Epiſt. de Purgantib.* (Lond. 1719. 4to.) pag. 90.

" Itaque RHAZES, ſcriptor ſane intelligens, „ tam in hoc de Peſtilentia opuſculo, quam in „ ipſo Continente, totum hunc de variolis lo- „ cum illuſtravit: ita quidem cumulate pleneque, „ ut perpauca, vel ad ſigna ſtabilienda, vel ad eli- „ cienda præſagia, vel etiam ad curationem, „ in primo ſaltem ſtadio recte tractandam, deeſſe „ videantur. Ex hoc fonte mihi videatur om- „ nia, quæ ad variolas pertinent, hauſiſſe, qui „ deinde ſecuti ſunt, Arabum magiſtri ".

OPERA PARVA RHAZIS,

[Lugduni 1511. 8vo.] fol. 201. 6.

RHAZIS

AD ALMANZOREM

GERARDO CARMONENSI INTERPRETE.

LIBER DECIMUS.

CAPUT XVIII.

De Variolis & Morbillis.

CUM febris acuta & concluſa pueris præcipue, aut juvenibus, evenire cœperit, fueritque cum ea dorſi dolor, & narium pruritus, & in ſummo timor ac capitis gravitas, & oculorum rubedo, & in corpore ſentitur punctio, ſciendum eſt, quod ægro aut variolæ aut morbillus citiſſime ſuperuenient. Quapropter ſi antequam adparere incipiant, medicus ægrum inveniat, minuere eum faciat, aut cum ventoſis ſanguis extrahatur. Minuatur equidem ſanguinis multitudi. Conſequenter vero trochiſci de ſpodio cum ſucco granati acetoſi in potu exhibeantur. Æger quoque non nutriatur niſi ptiſana; & hoc in

mane & prope noctem fiat. Quod ſi ipſe largiorem adpetierit nutricationem, fueritque ipſius virtus debilis, alia non dentur, niſi lentes abſque corticibus, cum pauco aceto conditæ: aut ſorbitiones, quæ fiunt ex amylo & ſaccharo, & oleo amygdalino, & epulum quod ex oleribus ſingulis, quæ haberi poſſunt, præparatur. Rob quoque quod fit ex fructibus acetoſis, aut ſtypticis ad bibendum detur. *Venter autem ſi ſtrictus fuerit, infuſiones quotidie in potu ſumantur.* Ex hoc enim, aut omnino prohibetur puſtularum egreſſio, aut, ſi quid egreſſum fuerit, parvum erit.

Si vero æger a medico non prius fuerit inventus, quam paſſio egredi incipiat, non erit tunc minuendus; neque trochiſci de ſpodio erunt dandi; ſed corpus ipſius erit bene cooperiendum, ut ſudor provocetur. Ex hoc enim levis fiet materia ad exeundum. Si autem videatur paſſio dura eſſe ad egrediendum, & æger videatur eſſe vehementis nauſeæ, & cum multa æſtuatione, & accidit ei levitas in aliquibus horis, apozema de ficubus & uvis paſſis, lentibus abſque corticibus, & ſemine fœniculi, & fuſtibus de lacca, in potu ſumat, quod hoc modo fit. Cujuſque prædictorum pugillus unus ſumatur, deinde omnia in aqua coquantur & colentur, quorum apozema multoties in die ſumatur.

Aqua præterea roſarum, in qua ſumach infuſum fuerit, aut ſuccus ex carnoſitate granati exprimitur, eo oculus irroretur. Aqua etiam frigida, cum pauco aceto mixta in potu tribuatur; & gargariſmus ſimiliter ex eis fiat. Quod ideo fieri convenit, ne in oculis aut naribus aut gutture, variolæ aliquæ egrediantur. Antimonium

quoque cum ſucco coriandri fricetur, & in oculis multoties in die mittatur. Cumque tota paſſio egreſſa fuerit & matura, æger ſuper folia ſalicis ponendus ad dormiendum; aut lectus ejus ex roſis tritis eſt pulveriſandus. Si quid autem ex prædicta ægritudine non cito ſiccatur, quod ſit magnum, & cum multo humore, ex aqua ſalſa goſſypio imbibatur. Et ſi fuerit hyemis tempus, ligna tamariſci ante ægrum ſunt comburenda. Si vero æſtatis tempus fuerit, ex ſandalis & foliis —— roſarum & myrti, ſuffumigatio facienda eſt. Hæc quoque omnia cum aqua coquenda ſunt, in quam æger mittendus eſt, ſi ſiccitas prædictarum tardata fuerit.

Cumque illud, quod prædiximus, bene ſiccatum fuerit, & remanſerit deſuper cortex fœdus, & habens eſcharas, ex oleo tepido cum goſſypio multoties in die inungatur, cumque omnes cortices exciderint, & æger ex toto ſanus fuerit. Sed ſi ſigna quæ remanſerint removenda fuerint, ex eis quæ in [Cap. 27. lib. V.] capitulo de remotione ſignorum prædiximus, liniantur ſæpe. Balneo quoque & regimine utatur, quod ad hujus curam valet.

Quod ſi variolæ & morbilli egrediantur, non minuto ſanguine, ſuccus duorum granatorum cum trochiſcis de ſpodio detur, & ex omni regimine eo, quod poteſt infrigidare, utatur. Pullos præterea non comedat, niſi poſtquam omnes cortices, qui ſunt ſuper loca variolarum remoti fuerint, & febris a corpore atque omnis calor ſeparatus fuerit. *Summopere etiam eſt cavendum, ne aliquid quod ventrem ſolvat ægro poſtquam variolæ aut morbillus adparere cœperint, neque febris, neque æſtuatio, tribuatur. Quodſi venter mul-*

tum ſolutus fuerit, *ptiſana cum* (a) *ſpodio & gummi Arabico & bolo Armeno*, *atque roſis*, *ſicut in capitulo de fluxu ventris prædiximus*, *in potu tribuatur.* Omnibus vero variolis illæ, quarum colores ſunt violacei, & quæ ſunt parvæ & duræ, & non maturantur, deteriores ſunt. Morbillus quoque, cujus color eſt ut violæ color, ſimiliter eſt malus. Si autem variolæ & morbilli duriter egreſſi, & maturari videantur, neque febris, neque æſtuatio ſedantur neque alleviantur, & ſupervenerint præterea ſyncope & cordis tremor, æger procul dubio moriturus eſt. Quodſi variolarum egreſſio velox fuerit, maturitas velox, febris quoque atque calor ſedantur, non erit ergo timendum; quia nihil mali inde patietur.

(a) *Spodium* i. e. *Tebâshir*. Vide not. n. pag. 233.

OPERA PARVA,

[fol. 66. b. 67. 2.]

RHAZIS DIVISIONUM.

CAPUT CLIX.

GERARDO CARMONENSI INTERPRETE.

SIGNA variolarum ſunt, febris acutæ caliditatis concluſa, & vehementia doloris dorſi, & pruritus naſi, & timor in ſommo. Si autem febris eſt vehementioris caliditatis & anguſtia eſt major, tunc portenditur morbillus

Et cura variolarum, cum incipiunt ſigna, eſt phlebotomia, ſed poſtea non: ſed adtende, & ſi fuerit æger bonus in parvi pendenda ægritudine, & non habuerit anguſtiam vehementem, & variolæ jam inceperint exire, tunc tege eum eis, quæ feſtinare faciunt exitum variolarum: & non des ei in potu aliquid frigidum cum frigiditate plurima, ut non ſtet exitus variolarum, & ſuperveniat ei tarditas & difficultas. Si autem videris variolas pigri exitus, tunc da ei decoctionem ficuum cum virgis laccæ, & aliquantulum croci, ut feſtinare faciat exitum illarum. Cum ergo exierint omnes, tunc adjuva eas ad maturandum cum regimine, & vaporatione cum vapore aquæ, ſi non cœperint pervenire ad maturationem, & rege eos regimine habentium apo-

ſtemata calida, tribuendo in potu aquam hordei, & alia, ſecundum quantitatem vehementiæ caliditatis, *& non multum intendas ad ſolvendum naturam, & præcipue in morbillo, & in fine rei ſuæ, nam non forſitan ſalvabitur, habens ipſum a ventre, in fine rei ſuæ.* Et quando tu facis vaporem & maturas, tunc adjuva ad exſiccandum eas cum ſuffumigatione foliorum myrti & foliorum roſarum, & fumo tamariſci, & decoque illa, & ablue eas cum aquis eorum, ſi tardatur earum exſiccatio. Cum ergo exſiccantur, ſi remanet in eis aliquid difficilis exſiccationis, degutta deſuper aquam & ſalem; & cum confirmatur eorum exſiccatio, & completur, tunc deſtilla deſuper oleum tepidum multoties, donec cadant cruſtæ omnes. Et incipe, quando adparent variolæ, & ſigna earum, deſtilla in oculos aquam roſarum, in qua infuſum ſit aliquid ſumach, & ſeminis rutæ: & quando in albedine oculi accidit locus rubens & pruritus, aut albus in nigredine ejus: & ſi non accidit illud, & videris variolas paucas, tunc indigebis hoc. Quodſi inveneris pruritum, qui eſt in oculo, non ſedari per illud, imo reddi fortiorem quam fuit, tunc deſtilla in oculum ex [*b*] *Al-Muri* & ſale: & vapora ipſum vapore aquæ calidæ.

Morbillus autem eſt majoris timoris quam variolæ, niſi in oculo. Intende ergo in illo cum eis quæ educunt choleram cum facilitate abſque calefactione: ſicut aqua pomorum & granati contriti cum ſuis interioribus, cum ſaccharo, & aqua hordei, & aqua melonis Indi citrulli, & cucurbitæ, & mucilagine pſyllii. Si autem inveneris infirmo poſt hanc medicinam advenire triſtitiam & anguſtiam, & fortaſſe invaſerit eum ſynco-

[*b*] i. e. *Al-Muri.* Vide not. k. pag. 248.

pa, tunc fac eum ſorbere aquam frigidam, & fac eum ſedere in ea parum, & frica corpus ejus, & cooperi eum donec ſedetur, quod in ipſo eſt, & egrediatur morbillus ad exteriora corporis, deinde redi cum exierit, ad extinguendum: *& ſerva naturam in fine rei, ut non ſit cauſa ad ſolutionem nequiſſimam*; & inveneris in infirmo reſudationem ſanguinis ex locis morbilli, fac ægrum ſedere in aqua frigida. Et ſcias, quod eſt morbillus malus; & rubens & violaceus hujus ægritudinis eſt malus & pernicioſus: & variolæ citrinæ duræ, propinquæ, involutæ, multæ & rubeæ, vehementis rubedinis & violaceæ, & illæ quæ ambulant ut fortuita, & quæ faciunt ſuperficiem corporis ſicut ſpaſmata, omnes malæ ſunt & mortales. Et oportet etiam, ut cum ſenſeris variolas, ut præcipias ægro gargarizare cum aqua roſarum, etiam ut minuatur quod egreditur in gutture ſuo; & effunde in aurem ejus ſief [c] *Memithæ* cum aceto & aqua, ut minuatur quod egreditur in aure ejus, & fac eum in naribus ſugere oleum myrtinum, ut minuatur quod egreditur in ejus naſo: nam cum hoc feceris quieſcit ex læſione magna. Et ſi conqueritur de punctura in plantis pedum, & manuum, aſſiduet poſitionem eorum in aqua calida; & non cibes eum in his duabus ægritudinibus, pullis, donec cadant cortices, & recedat ſitis & malitia anhelitus. Poſtquam igitur ceciderint cortices, tunc aſſiduatio balnei & regimen impinguativum corporis, implebunt foramina *a puſtulis relicta*. Et medicinæque eradicant pannum delent veſtigia earum.

---

[c] i. e. *Mamithſæ*. Vide not. i. pag. 247.

DE VARIOLIS ET MORBILLIS.

CAP. VIII. LIBRI XVIII. CONINETNTIS.

[Juxta Edition. BRIXIENS. 1482]

De variolis & morbillis.

De blactiis & lenticulis.

De apoſtematibus peſtilentialibus.

INQUIT [a] Judæus, deteriores variolæ ſunt illæ, quæ ſunt parvæ, propinquæ ad invicem, & viridis coloris; & groſſæ & diviſæ, ſunt ſalubriores. Et dixit, cum accidunt variolæ, non exhibeas frigida, quia poſſibile quod ſtupefacient ſuperfluitates; ſed des eis ſemen apii, marathrum, & ſaccharum, ut ſit attractio earum ab interioribus ad exteriora; & in quarto exhibeas ptiſanam cum aqua decoctionis jujubarum & ſaccharum, *& ſi ægri venter eſt conſtiatus, leni ipſum cum aqua mannæ, & ſimilibus: in fine vero minime, ſed redde ejus corpus ſtypticum quanto magis potes.* Et fiat gargariſma cum aqua de-

[a] *Judæus* i. e. MASERJAWEIUS. --- Fuit autem religione Judæus: & hunc ſignificat ABU BEKER MOHAMMED fil. ZECHARIÆ, in libro ejus *Continens*, dicto, quando dicit, *dixit Judæus* --- ABU OSAIBA in vita MASERJAVEII.

coctionis fœniculi ſacchari, & aliquantulo ſucci granati: & ſæpe exhibeantur ad ſugendum quod nil poſſit in ore & gutture exire: & fac collyrium in oculo cum [*b*] *Elmori*, aut antimonio cum ſucco coriandri & camphora, ut nil poſſit accidere in pupilla.

Dico, [*c*] debes ſimiliter evitare interiorem partem narium, quod nihil eis eveniat, cum ſandalis & aceto, & odoret ſæpe æger acetum & aquam, & cum his liberabitur. *Et ſi in fine venter ejus eſt fluxibilis, dentur herba acetoſæ & faſioli decocti cum granis granatorum & agreſta.* Et ſi ſentit aliquam ex his in gutture, des ei ad lambendum rob agreſtæ, & poſt ſeptimum ſali ipſum cum aqua & ſale, & pauxillo croci; & poſtea pulveriſa ejus corpus cum roſis, ſandalo, & aliquantulo camphoræ; & cibus ejus ſit exſtinctivus, deſiccativas & lenis. Et tempore hyemis accende coram eo ignem ex lignis tamariſci; & cum variolæ ſunt digeſtæ, dormiat ſuper ſaccum fabarum vel oryzæ, aut panici vel hordei, & ſimiliter ſit plenum ejus pulvinum; & ex hoc velociter deſiccantur etiam variolæ; & variolæ evenientes poſt febrem, ſunt ſalubriores præcedentibus eam.

Et ſigna blactiarum ſunt vox groſſa & rauca, tempora elevata, oculi rubicundi, lachrymæ & nauſea cum abominatione: & blactiæ accidunt ſubito, & variolæ ſucceſſive. Et blactiæ viridis & violacei coloris ſuntmalæ; & prope cum adparent & abſentantur ſubito, quia ſyn-

[*b*] *El Mari.* i. e. *Al Muri.* Vide not. k. pag. 248.
[*c*] RHAZES loquitur.

copen paſſus eſt eger, & velociter moritur. Et variolæ, quæ ſunt nigri coloris, & deſiccantur, & non implentur aqua, ſed ſunt duræ ut porri, adducunt ſyncopen & mortem. Et variolæ, quæ ſunt humidæ, fumigentur ex foliis myrti, & irroretur ſuperficies cutis cum aqua diu agitata cum radicibus cannæ ſeu ſalicis, & pulveriſa deſuper cum [*d*] *Merdaſengeth*, ad removendum earum cicatrices.

Dico, oleum fuſticorum delet omnino cicatrices variolarum.

Inquit [*e*] TABRI: quando in febre hectica adparet rubedo oculorum & faciei, & corpus & caput ſentitur porderoſum, & adeſt pruritus narium, ſternutatio, anguſtia, & lamentatio, eſt ſignum variolarum: tunc collyrizandi ſunt oculi ex antimonio diſſoluto in aqua pluviali, aut ſucco coriandri, vel ſucco interioris corticis granati vel pulpæ, ſeu cum Naphta alba vel petroleo: & detur in potu aquæ decoctionis lentium excoriatarum drach. vj, tragacanthæ drach. iij; & aqua in qua decoquuntur debet eſſe in pondere quinque [*f*] rotulæ, & buliant ad medietatem. Et cum hoc acceleratur earum exitus, & dentur eis (*ægris*) in cibo lentes excoriatæ & torrefactæ, cum ſucco granatorum & fructibus ſtypticis.

TABRI: cum variolæ & blactiæ manifeſte adparent, & collyrizantur oculi cum [*g*] *Muri*

[*d*] *Merdaſengeth.* i. e. Lithargyrus.

[*e*] TABRI ---- RHAZIS ſc. magiſter: ut ex ABU OSBAIA diſcimus adeoque circa A. D. 880.

[*f*] Vide not. f. pag. 245.

[*g*] Vide not. h. pag. 248.

confortatur pulpa, & præſervatur ab eis, & diſſolvitur eorum groſſities.

AARON [*b*]: antram (*anthrax*) eſt apoſtema calidum, vel apoſtema epidemiale, quod oritur in inguinibus & ſub aſellis, & interimit quarto die vel quinto: & ſlitrax vel anthrax nigrum eſt malignum; & eſt poſſibile ut rubeum interficiat, & videtur impoſſibile, quod poſſit aliquis a nigro vel a viridi evadere: & ſimile eſt variolis & blactiis, & omnibus aliis adparentibus in cute ejuſdem coloris; & ſunt in ultima malignitate: & habentes colorem croceum ſunt malæ, minoris tamen malignitatis: albæ vero ſunt ſalutiferæ: rubeæ autem ut plurimum. Et generantur omnes ex malo ſanguine aduſto cum cholera. Et ſi patientes anthracem poſſunt commode flebotomari, no reperitur cura melior ipſa. Et inunge locum cum luto Armeno, & des ſimiliter de eo in potu cum aqua frigida; eſt enim ſatis laudabile & juvativum.

Signa variolarum & blactiarum ſunt, a principio febris calida, ſoda, rubedo oculorum, & ut plurimum adparent hæc in tertio die; & poſſibile eſt, ut adpareant in primo & ſecundo: & de laudabilioribus ſignis ſalutis ſunt, cum adparent in tertio, aut in tempore quo febris eſt lenta; & e contrario. Cum vero moventur in primo die, moventur ex vehementia febris, & profunda & forti cogitatione.

Dico, febres variolarum ſunt continuæ de ſanguine, & ut pluries accidunt pueris: & cum

---

[*b*] AARON Presbyter Alexandrinus. —— floruit circa A. D. 622.

adparent, non exhibeantur frigida & exſtinctiva; ſed exhibeas patienti fœniculum & ſemen apii, vel aquam decoctionis eorum, quouſque exeant exterius: & priuſquam hæc exhibeas, fac flebotomiam & illinitionem; ſed ſi in totum manifeſte ad exteriora exierint, abſtineas a flebotomia & illinitione. Et teneat æger ſæpe in ore aquam decoctionis lentium & roſarum; & collyrizentur oculi cum antimonio & camphora, & hæc cura præſervat oculos, guttur & nares ab eis. Et cum variolæ ſunt coloris violacei vel viridis, ſunt mortales: & cum ſunt digeſtæ, jaceat ſuper farinam orizæ, & fumigetur cum foliis myrti vel olivarum, *quia* deſiccantur. Et conſueverunt jam moderni medici dare in potu lac acetoſum extracto butyro: & habetur notitia ſignorum bonorum & malorum in capitulo morborum acutorum.

In [*i*] libro *De abbreviationibus:* variolæ & blactiæ ſunt de morbis, qui dicuntur mundi, & ut pluries moventur ex corruptione aeris, inducta a cadaveribus, & maxime in æſtate, & in corporibus dimittentibus longo tempore flebotomiam.

Dico, quod multoties habui per experientiam, quod ſigna variolarum & blactiarum ſunt febris continua, timor in ſomno, rubedo & pruritus in naribus, dolor vehemens lumborum & dorſi, alices & coloris inflammatie.

Inquit [*k*] VIGILATOR: quando in fe-

[*i*] Cujuſnam ſit Auctoris, incertum eſt.

[*k*] *Inquit* VIGILATOR, i. e. JOSEPHUS AL SAHER ---- floruit A. D. 900, RHAZI coætaneus. ---- Tem-

bre continua oculi & maxillæ ſunt rubei coloris, & pruritus eſt in naribus, & ponderoſitas in capite, accidunt variolæ aut blactiæ, & cum adparent variolæ, ſtudeas, quanto magis potes, reducere eas ad exteriora, ut non accidat ex eis tremor cordis, aut velox mors, in dando in potu hanc decoctionem. Recip. Laccæ ablutæ drachm. v, lentium excorticatarum drachm. vij, tragacanthæ drachm. iij; coquantur in medio [*l*] rotulo aquæ uſque ad medietatem. *Et caveas ne lenias ventrem poſt ſeptimum*; & ſint cibi ſui conſtrictivi, ſicut lentes cum ſucco granatorum & aceto. Et cum omnes extra fuerint, accendas in hyeme coram eo, ignem ex lignis tamariſcorum, quercuum, & ſarmentorum: æſtivo tempore vero non eſt neceſſe; ſed debes ægri cameram fumigare ex ſandalo, & abſtergere eam cum foliis myrti, vitis, ſalicis & granatorum, & cum incipiunt ipſæ deſiccari, pulveriſa eas cum farina oryzæ, panici & pauco croci.

Dico, ego exiſtimo quod hoc injunctum fuerat ad removendum cicatrices; & de his pone ſupra faciem magis & ſæpius; & ſi nares ſunt læſæ, impone ceram diſſolutam cum oleo, & ſi os, mucilagines.

Medicina conferens ad faciendum variolas ve-

---

pore AL-MOCTAPHI claruit JOSEPH. AL-SAHER (i. e. Vigilator) medicus, qui & ALKAS, i e. Presbyter appellatus eſt. Vir famæ celebris, medicinæ ſtudio incumbens; magna diligentia in congerendis quæ utilia eſſent: ideo appellatus AL-SAHER, quod non niſi quartam noctis partem, vel amplius paulo, dormiret, dein ſcientiæ acquirendæ inocgilaret. *Hiſt. Dynaſt.* Lat. pag. 186.

[*l*] Vide not. f. pag. 245.

lociter adparere, & exire. Rec. Ficuum citrinarum drachm. vij, lentium excoriatarum & laccæ ana drachm. iij, tragacanthæ & fœniculi ana dr. ij. Coquantur in medio [*m*] rotulo aquæ uſque ad medietatem, & detur de eo in potu, & prohibet & removet tremorem cordis, & partium eis adjacentium.

Dico, de proprietate ficuum, eſt trahere ipſas ad exteriora. In libro [*n*] *Liberationis:* medicina trahens velociter variolas ad exteriora cum levitate; & debet exhiberi, cum incipiunt adparere. Rec. Ficus albas & magnas N°. V, lentium excoriatarum drachm. vij. Coquantur in medio rotulo aquæ ad conſumptionem trium partium, & diſſolvatur in eo croci ſcrupul. j. & detur jejuno ſtomacho & hora ſomni.

Filius [*o*] MESUE: cum vides blactias coloris fuſci, & ſunt univerſaliter per totum corpus, & amplæ, & murmurat & pigreſcit, & ejus venter eſt inflatus, qui manibus repercuſſus ſonat ad modum tympani, eſt malum. Et dixit, ſigna variolarum ſunt febris continua, rubedo oculorum, & faciei; agitatio, & repentinus motus in ſomno: & ſunt collyriſandi oculi ex aqua roſacea in qua ſumach infundatur, quia præſervat oculos a nocumentis.

Dico, facies ſief ex ſumach & balauſtiis informatis cum aqua roſacea, & ad confortandum

---

[*m*] Vide not. f. pag. 245.

[*n*] Cujuſnam ſit, non conſtat.

[*o*] *Filius* MESUE. --- Vide POCOCK. *Hiſt. Dynaſt.* Lat. pag. 166-168. Senior, non noſter Pharmacopola E.

inſtrumenta oculorum, & poſt exitum variolarum, inſtilla in oculis antimonium diſſolutum in aqua calida, in qua per ſex horas infuſum ſit coriandrum ſiccum, quæ coletur, & ponatur pauxillum camphoræ; vel fricetur cum aqua roſacea, & coneris promovere feſtinum exitum variolarum, ne ſuperveniat ſyncope, tremor cordis, aut repentinus motus, cum hac medicina. Rec. Laccæ drachm. v, lentium excoriatarum & dilutarum drachm. vij, tragacantæ drachm. iij. Coquantur in medio rotulo aquæ uſque ad medietatem: & detur de ea in potu: & cibentur cum [*p*] *Mesh*, i. e. quoddam legumen de genere lentium quod ultra mare invenitur, excorticatis, decoctis cum ſucco granatorum: & in hyeme accendatur ignis coram patiente, ex lignis tamariſci, quercus & vitis: & cum incipiunt variolæ deſiccari, inungantur penna ex farina oryzæ & panici, & pauco croco, diſſolutis cum aqua roſacea. Et ſi adpareat in naribus aliquid, pone in eis ceratum ex oleo violaceo, cera alba, & tragacantæ; & in ore teneat mucilaginem pſyllii: & des in potu trochiſcos de acetoſa, & ſimilibus, cum [*q*] *Sauic* hordei & ſucco granatorum, & non comedat de pullis, quouſque febris omnino mitigetur, & deſiccentur variolæ, & cadant earum cortices. Et cibentur in principio cum oleribus mollificativis, *& laxetur venter uſque ad ſeptimum cum* [r] *aqua fructuum*: & detur in po-

[*p*] *Mesh.* ---- Piſum Indicum PLEMPIO. pag. 200. Vide *Hiſt. Arom.* CLUS. in *Mungo.* pag. 205. GOL. Col. 22. 85.

[*q*] Vide not. a. pag. 229.

[*r*] *Aqua fructuum.* ---- Vide MESUE (fol.) pag. 148. -- Pruna XL, myxa, zizipha, ana XXX. Tamarindorum un-

tu ptiſana quouſque adeſt febris. *Et poſt ſeptimum, nullo modo exhibeas aliquid lenitivum, quia in declinatione morbi, multoties accidunt fluxus & ulcera inteſtinarum*; & ſemper ſit cibus ægri lentes excorticatæ decoctæ cum ſucco granatorum, & non appropinques ei oleum in principio & in fine morbi, quia in principio prohibet exitum variolarum, & in fine reddit ulcera corrupta, & concavat locum.

Filius [s] SERAPIONIS: cum adparent ſigna variolarum, principium curæ ſit flebotomia; & ſi virtus eſt debilis, fiat caraſſatio; & cum incipiunt exire, pone in oculis aquam roſaceam decoctionis ſumach, aut ſuccum pinguedinis granatorum. Et ſi adpareant in oculis variolæ, diſtilla in ipſos antimonium diſſolutum & fricatum cum ſucco coriandri recentis, aut aquam pluvialem, in qua decoctum ſit coriandrum ſiccum; & da ei in potu aquam decoctionis laccæ, lentium, & ficuum, (An *ut?*) & acceleres exitum variolarum, & cum exire incipiunt, des in potu ptiſanam cum aqua decoctionis lentium excoriatarum: & non exhibeantur pulli, uſquequo febris omnino deficiat, & variolæ ſint deſiccatæ.

---

ciæ ij, caſſiæ fiſtulæ unc. iij, mannæ unc. j. Fiat ut diximus i. e. coque in lb. ij aquæ ad lb. j.

[s] Filius SERAPIONIS --- JOHANNES etiam filius SERAFIOWN (SERAPIONIS) & omnia quæ ſcripſit, Syriace. Pater ejus fuit Serapion medicus, ex familia mercatorum; cujus bini filli JOHANNES & DAVID medici præſtantes evaſere. Ex libris a JOHANNE fil. SERAPIONIS. ſunt collectio magna, duodecim tractatus *complectens*: collectio parva quæ tractatus ſeptem complectitur, quam HODAITH librarius interpretatus eſt Arabice in uſum ABI L'HASSAN filii TAKÏS medici. Anno H. 318. i. e. A. D. 930. ABU OSBAIA ad calcem lib. VI.

Et ſint eorum cibus [*t*] *Meſh*, lentes, & olera.

Medicinæ ſimplices curantes variolas. Rec. radices ſeu ramellæ fabæ, lutum molle liquidum; pinguedo aſini, ligna ſalicis fricata; oſſa vetuſta, radices cannarum deſiccatæ, tritæ & pulveriſatæ, & informatæ cum ſucco granatorum: Sief conditi cum corticibus melonum deſiccata lithargyrium confectum, crocus; ſpuma maris, albumen ovi, aqua hordei, oleum liliaceum, [*u*] *Baurac*, ammoniacum, thus, ſaccharum album, amylum; amygdalæ dulces, myrrha, coſtus dulcis, ſarcocolla; uſus balnei & potus granatorum dulcium.

Filius MESUE: experimentum mirabile ad removendum cicatrices variolarum. Rec. Teſtæ ovorum, oſſis combuſti ana drachm. x, radicis cannarum ſiccæ drachm. xx, tegularum novarum, amyli lupinorum, ſeminis melonis, oryzæ abluti & cicerum ana drachm. x, granorum Ben, coſti, ariſtolochiæ longæ ana drachm. v. Terantur & pulveriſentur, & informentur cum aqua hordei & melonis, & liniatur corpus ægri cum eo, & des per diem & noctem, & mane abluatur cum aqua decoctionis hordei & violarum.

Item contra cicatrices. Rec. Oſſa vetuſta, radices cannarum Perſarum, tegularum novarum, amyli lupini, ſeminis melonum, oryzæ ablutæ, grana Ben, & de illis fac illinitionem cum aqua.

Item, Rec. ſemen melonum excorticatorum, amygdalas dulces excorticatas, oſſa vetuſta trita,

[*t*] Vide not. p. pag. 286.

[*u*] Vide not. s. pag. 255.

&

& [*v*] *Merdaſengi* conditum, & fac illinitionem cum aqua melonum aut hordei.

Vidi quemdam plenum variolis, & linitus fuit cum aqua & ſale, & inflatus, & ſuſtinuit vehementem dolorem, quia variolæ nondum erant bene digeſtæ; & melius eſt quod deſiccentur primo cum multa camphora diſſoluta in aqua roſacea, & dormiat patiens ſupra panicum, folia ſalicum, roſas ſiccatas, & recentes; & ſandalum in æſtate, cum eſt vehemens caliditas; & in hyeme accendatur ignis coram eo ex lignis tamariſci, ſalicis, & myrti. Et melius eſt ante adparitionem variolarum inſtillare in oculos aquam roſaceam, in qua infundatur ſumach, camphora, pinguedo granatorum, & ſimilia. Et ſi aliquid adpareat in eis, appone antimonium fricatum, cum aqua roſacea & ſucco coriandri recentis; & cum camphora & [*x*] *Muri* valet ad hoc, & præſervat oculos a puſtulis, & non permittit aliquid in eis exire.

Dico, oleum poteſt apponi, cum variolæ ſunt multum deſiccatæ, & fecerunt cortices duros, quæ ex eis inunctione velociter cedunt: aut hoc non eſt apponendum. Et variolæ ſunt aliqua ſpecies criſis, & propter hoc, non eſt earum exitus impediendus; & impedire exitum earum, eſt impedire criſin, & de facili poſſunt redundare ad aliquod membrum nobile: & ob hoc cum vides ſigna variolarum, dicas naturam expellere materiam ad ſuperficiem cutis: & tunc juva tu illam

---

[*v*] Vide not. d. pag. 281.

[*x*] Vide not. k. pag. 248.

ad facilem ipſarum exitum cum his quæ dantur in potu: & cave ne ſint frigida, quoniam prohibent exitum earum oppilando poros. Et debes inſpicere, cur hæc criſis magis ſupervenit pueris. Et cum adparent variolæ poſt digeſtionem, & die criſis, eſt bonum ſignum; & ſi adparent ante digeſtionem, & die non critico, eſt mortale. Et pejores his ſunt variolæ, quæ moventur in ſecundo, vel ſexto die, & febris non alleviatur ex eis.

Dico, mulieres utuntur foliis lilii ad deſiccandum variolas. Ft vidi quod ipſa deſiccant finali deſiccatione, & aqua & ſal valent magis ipſis, niſi quod facit patienti multam punctionem: ſed cum eſt in loco, ubi eſt multa carnoſitas, non ſentitur tanta punctio; & oleum eradicat cortices earum. Et unguentum rubeum confert mirabiliter ulceribus quæ appellantur (An *matres?*) *mater variolarum.* Et vidi multoties, quod vulgus exhibeat cibum incontinenti quando variolæ adparent, & multoties fui expertus in principio variolarum exhibere aquam nivis, lactucas, & facere flebotomiam: & non debet patiens morari in loco frigido, quia prohibetur exitus earum ſtringendo poros; & cum incipiunt variolæ adparere, & multum exire, tunc dentur frigida, & cum evenit patienti ſyncope & tremor cordis, locetur in loco frigido.

Filia ALFET: paſſa eſt variolas parvas duras, porrinas, non tamen nigras, & ſentiebat cum hoc, inflammationem & dolorem in ventre, & mortua eſt: & plures iſtorum ſyncopizantes moriuntur, quoniam conſtringuntur multum eorum anhelitus, & infrigidantur eorum extremitates: & hoc eſt cum variolæ redeunt interius. Et aliquando adparent variolæ ſimiles blactiis, & ali-

quis medicus dixit, quod blactiæ vertuntur in variolas. Et inveni, quod differentia eſt inter has; quia blactiæ ſunt rubeæ & adparent in ſuperficie cutis ſicut ignis Perſicus; & non ſunt rotundæ eminentiæ, nec eminentes: & variolæ habent eminentiam & rotunditatem; & acuas tu bene intentionem tuam ſuper hoc; & cum hoc tibi non erit intelligibile, & ſenſui occultatum, non judices ſupra ipſum, quouſque tranſeat dies ſeptimus; & illæ quæ non ſunt eminentes, non debent variolæ appellari.

Unctio mirabilis & experta ad amovendum cicatrices variolarum. Rec. Farinæ ciceris drachm. x, farinæ lupinorum drachm. iij, coſti dulcis & *Merdaſengi* dealbati ana dr. j. [*] *Lapidis inventi in pipere.* Terantur & pulveriſentur, & informentur cum aqua hordei.

YSAAC [*y*] filius JOHANNICII dixit, cum incipiunt exire variolæ, extrahatur ſanguis cum flebotomia vel caraſſatione (*cucurtulis*) & extrahatur de ſanguine quaſi uſque ad ſyncopen; facias patientem uti ptiſana. *Et ſi venter ejus eſt fluxibilis, detur ei aqua* Sauic *hordei, & maxime in blactiis, quia hanc pluries concomitatur ventris laxitudo;* & caveas ab omni dulci groſſo.

Inquit [*z*] MUSEYA: medicina laudabilis & experta, amovens cicatrices variolarum. Rec. Amidi frumenti, amygdalarum excoriatarum ab

[*] Gloſſema hæc eſſe videntur.

[*y*] YSAAC *filius* JOHANNICII i. e. HONAICI EBADIENS filius, de quo vide POCOCK *Hiſt. Dynaſt.* Lat. pag. 71.

[*z*] *Inquit* MUSEYA: incertum quis ſit --- forte Pater MESUES.

utroque cortice, ana drachm. ij, coſti dulcis & tragacanthæ, ana drachm. v, radicis cannarum drachm. jv, ſeminis melonis excoriati, fabarum ſiccarum excoriatarum, & farinæ hordei, ana drachm. iij, croci ſcrup. j. Terantur, cribellentur in panno ſerico, & informentur cum ſucco corticum cetrangulorum & aqua roſacea æqualiter; & inungatur locus cum penna; & dimittatur per noctem, & mane abluatur cum aqua decoctionis camomillæ, meliloti & variolarum, ſi DEUS voluerit.

Medicina divina multæ experientiæ & bonitatis, trahens ad ſuperficiem corporis, variolas, [a] *Bothor*, & omnia quæ neceſſaria ſunt exterius educi. Rec ficus albas v, paſſularum enucleatarum aur. x, laccæ mundatæ drachm. v, tragacanthæ drachm. iij, croci aur. v. Coquantur in tribus rotulis aquæ uſque ad tertias, & detur in tribus diebus, qualibet die, pars rotuli: juſſu DEI.

Inveni quod ſigna appropriata variolis ſunt febris continua de ſanguine, dolor gutturis, & in principio febris, dolor lumborum; & patiens jacet in ſupino, & movet ſæpe pedes & tremit. Et debes eſſe ſatis ſollicitus, & bene præmeditari in flebotomia & ejus circumſtantiis.

Ait [b] GEORGIUS: blactiæ ſunt ex ſanguine permixto multa cholera, & variolæ ex ſanguine groſſo multæ humiditatis; & ideo inve-

[a] *Bothor*, i. e. puſtulæ ---- tubercula.

[b] *Ait* GEORGIUS ---- BACHISHUA forte de quo vide *Hiſt. Dynaſt.* Lat. pag. 171. Vide not. b. infra, pag. 298.

nimus variolas humidas, & blactias aridas & ſiccas; & eveniunt ut pluries in autumno, & maxime cum non prævalet ſeptentrionalis ventus; & eſt pluvialis; & cum aer eſt turbidus, pulverulentus & obſcurus, & flat ventus meridionalis. Et ſigna ipſorum ſunt febris continua de ſanguine, ſoda, dolor, ponderoſitas capitis & pectoris, & ſiccitas linguæ: ſputum groſſum, pruritus in naribus, ſternutatio, facies repleta, impedimentum anhelitus, nauſea, caſus adpetitus, diſtentio cutis, & timor in ſomno: & melior criſis, quæ poteſt evenire, eſt fluxus ſanguinis e naribus. Et quando variolæ & blactiæ ſunt coloris violacei & nigri, & aliquando adparent, & aliquando occultantur, & ſentit patiens vehementem anguſtiam, & raucitatem vocis, & ſenſus permixtionem, eſt ſolum ſignis prognoſticis relinquendus. Et variolæ ſiccæ, in quibus non coadunatur humiditas, ſed ſunt ut porri, & ſcindunt cutim cum vehementi ſciſſione, & concomitantur eas vehemens anguſtia, mala deſiccatio, ſenſus permixtio; & defectus vocis, eſt mortale. Et aliquando accidunt & inveniuntur variolæ parvæ intus, in magnis variolis, & nominantur variolæ duplices. Et delet, removet, cicatrices iſtarum, pulvis radicis cannarum, & ſerratura ligni ſalicis, & *Merdaſengi* dealbatum.

Dico, dixit GALENUS in principio [c] *Categeniſii*, unguentum mirabile, omni ſolennitate vallatum, valens ad multa, & etiam ad variolas: & per hoc perpendi quod GALENUS non

[c] *Catageniſii*, i. e. κατα γενη. ---- Vide not. a. pag. 217.

omiſit variolas, & eas cognovit. Et in ſecundo ejus libro poſuit GALENUS aliud unguentum valens ad variolas: & ob hoc ipſe ſcripſit ex ſcientia ANDROMACHI, qui fuit antiquior GALENO. Et dixit GALENUS in libro quarto [d] *Ethimeos*, antiqui adpellabant *flemon* rem in qua inflammata caliditas, ſicut eryſipelas & variolæ; & hi morbi generantur ex cholera: & narravit etiam hoc in libro *pulſuum*, & ſimiliter in nono libro *interiorum*. Et dixit, ſuperfluitates, quæ non mutantur in ſanguinem putreſiunt, & acuuntur longitudine dierum, & generatur ex eis eryſipelas & variolæ.

Dico, quæſivi & inveni, quod malitia variolarum eſt ſecundum quantitatem malitiæ anhelitus & raucedinis vocis, & ut plures ex iſtis moriuntur ſtrangulati: & intentionis meæ eſt, curare in principio guttur, cum rebus lenitivis & diſſolutivis, quas fui expertus in *Bimareſten* (noſocomio ſc.). Cura variolarum & blactiarum, utaris flebotomia ante quartum diem, & poſt; & maxime priuſquam omnes exeant: & cum omnes exierint, ſc. eſt facienda flebotomia: ſed debet dimitti quouſque fortificetur virtus, niſi forte materia ſit multa. Tu autem potes flebotomare, parum tamen ſanguinis extrahendo.

Dico, qui moritur ex hoc morbo, deficit propter multitudinem materiæ, quia forſan natura non eſt tantæ potentiæ, quod poſſit totam materiem trahere ad exteriora. Et cum erit conveniens flebotomare venas narium in principio, eſt ſatis utile. Inveni autem plures patientes vario-

---

[d] Ad TIMÆUM. i. e. —— Vide pag. 217.

las, qui liberati ſunt ſolo fluxu ſanguinis e naribus: & hi morbi ut pluries accidunt pueris qui flebotomari non poſſunt. Et cum vides autumnum vehementis caliditatis & ſiccitatis, & hyemem ſuæ naturæ vel propriæ, exſpecta variolas in fine hyemis, & te induas multos pannos, tuentes a frigore te, & non inſpira aerem frigidum, & cum hoc liberaberis. Et ſi eveniunt tempore æſtivo, debet morari patiens in loco in quo ſudet, niſi timeat de ſyncope; quod ſi eveniat, caveat ne ſudet, & locetur in camera aperta ventis oppoſita, & odoret ſandalum, aquam roſaceam & camphoram; & non exhibeantur patienti vehementer frigida, uſquequo variolæ bene fuerint manifeſtæ; & non flebotometur cum manifeſtæ adparent, niſi materia ſit multa.

Dicit [*e*] MASER JOHEYE: qui prohibet variolas oculis non accidere, & præſervat ipſos ab eis; & ſi eveniant, diſſolvit eas, quod non inferant nocumentum: eſt ſatis perſpicuus & ſagax medicus.

Filius MESUE: rob ribes & agreſtæ, & rob acetoſitatis citri confert variolis, blactiis, & *antrax* (anthraci), quia vincunt & exſtingunt acuitatem choleræ & ſanguinis.

Dico, in principio cum adparent variolæ, pone in oculis antimonium, quando dubitatur in illo tempore de melancholia: & ſi dubium eſt, inſtilletur in oculis ſief factus ex antimonio *folio* & acacia: & oleum non adponatur, niſi cum ulcera fuerint deſiccata, propter caſum cruſtula-

[*e*] Forte MASERJAWEIUS ſive Judæus. ---- Vide not. a. pag. 279.

rum: & eſt malum ante hoc tempus ad adponendum; quoniam prohibet diſſolutionem; & accidit ex hoc tremor cordis & ſyncope; & hoc uſi ſunt plures imperiti medici,

Dico, multoties vidi febricitanti evenire blactias poſt nonum diem; & ei non adparebat aliquid de accidentibus variolarum & blactiarum, niſi vehemens anguſtia aſſidue atque nauſea: & quando tu vides cum febre continua anguſtiam, & murmurationem, & laborem aſſiduum, debes cognoſcere quod ſunt ſigna blactiarum, & tunc non eſt infrigidanda omnino exterior pars corporis. In quarto decimo *pulſuum*, dixit GALENUS, ſanguis putreſit multum in apoſtematibus, variolis & corroſione, quouſque comburatur cutis. In nono *interiorum* ſuperfluitates ciborum, quæ non mutantur in ſanguinem, & remanent in membris, & putreſient & acuentur, ſpatio plurium dierum generabuntur ex eis variolæ, & eryſipelas & corroſio.

Dico, nominavit GALENUS variolas, & ſcripſit propriam curam ipſarum, & ex hoc poſſit intelligi, quod ipſæ ſunt ex ſpeciebus criſis.

Dico, ſi aliquis febricitans ſentiat dolorem lumborum, & non adpareat in illo aliud ſignum de ſignis variolarum, ſed cum hoc adſunt fluxus & urina alba, eſt ſignum prognoſticum variolarum. Et ſummarie, non eſt aliquid ita proprium ſignum in variolis, ſicut dolor lumborum cum febre, & cum vides hoc in autumno, ſecurus ſis de variolis, non tamen de blactiis; quoniam cum blactiis non eſt dolor lumborum; & puta quod hoc fit ex forti diſtenſione venæ concavæ diſtenſæ ſupra ſpondylia dorſi; & in blactiis non diſtenditur, quoniam eſt ex malitia

ſanguinis abſque multa repletione; & in variolis non eſt ſanguis ſuperfluæ malitiæ reſpectu blactiarum.

Dico, quod variolarum ſunt multæ ſpecies, & ideo cavendum eſt ab eis, & eſt ſtudendum ut attrahantur ad exteriora; & ſi patiens non caleat, curetur cum calefacientibus, & abſtine ab eis, ſi adſit febris continua & nigredo linguæ; & cura guttur ad præſervandam ſquinantiam, quæ conſuevit multoties cum ea evenire, & adhibeatur cura cum rebus ſtypticis: & ſi fortificatur dolor gutturis, detur aqua calida cum ſaccharo, & fumigentur illæ quæ ſunt tardæ digeſtionis cum aqua calida, in qua decocta ſit camomilla. Et variolæ quæ ſunt circulatæ & capitula earum occultata, ſunt malignæ & mortales: & curentur palpebræ & præſerventur ab eis cum ſucco [*f*] *Memithe*, lycio, aloe & croco; & ponatur in oculis ſumach & aqua roſacea.

Dico, quod quidam paſſus fuit variolas ſatis malignas, & fuit flebotomatus priuſquam ſtringeretur ejus guttur, & non remanſit aliqua medicina extinctiva & alia conveniens, quæ non eſſet ei facta; & melioratum eſt & dilatatum ejus guttur & variolæ ſimiliter, ita quod habuimus de eo bonam ſpem; & poſtea evenit ei ſubito dolor vehemens in tibia, & denigrata eſt; & intentionis meæ erat caraſſare (*ſcarificare*) locum; etiam eadem hora habuit caſum virtutis, & tunc deſperavi de eo omnino; & devenit ad talem ſtatum, quod ſanguis emanabat ab ejus poris, &

[*f*] Vide not. i. pag. 247.

T 5

eodem die mortuus eſt propter vehementem dolorem. Et vidi plures patientes variolas magnas, & habuerunt ultimo dolorem in tibiis.

Dico, lacca datur in potu ad confortationem hepatis in variolis.

Inquit [g] TARMADI: cum variolæ ſunt fractæ, inungantur cum oleo & ſale, & ſtent in ſole per unam horam, & poſtea laventur cum aqua decoctionis ficuum & myrtillorum, & poſtea fumigentur ex tamariſco, & poſt tres dies inungantur cum luto albo in quo apponatur parum ſalis; & dimittantur per medium diem, & poſtea lava ut prius. Cum ſint deſiccatæ, da ægro in potu lac aſininum acetoſum, & line ipſo ejus cutim, & pulveriſa deſuper calamum aromaticum album aut aliud aromaticum.

Inquit [h] BUGAJESU: ſigna variolarum ſunt febris, rubedo faciei, & cutis, & præcipue gingivæ erunt nimis rubicundæ: & cum incipiunt adparere, ſi ſunt ſicut grana, ſunt variolæ, & poſſunt eſſe latæ in forma [i] *Bothor*; & eadem eſt cura amborum: & cum incipiunt adparere dentur in potu, quolibet die patienti drachm. x aceti, cum [k] cerata j muſci, ſi variolæ ſint multæ; & ſi paucæ, ſecundum earum quantitatem: & poſt tres dies, detur hæc medicina. Rec. roſarum mundatarum drachm. j v,

---

[g] *Inquit* TARMADI --- vide pag. 299. ſequenti ubi idem ut videtur DARMEDI appellatur.

[h] BUGAJESU ---- forte BACHTISHUA.

[i] Vide not. a. pag. 292.

[k] Cum cerata i. e. cum Kirata. Vide not. f. pag. 245.

lentium excorticatarum drachm. iij, laccæ ij. Coquantur in duobus rotulis aquæ uſque ad medium rotulum; & depuretur, & deponatur in ea ſacchari uncia j, & detur quolibet mane in jejuno ſtomacho, per tres dies & plus; & hoc narravit [l] DARMEDI. Et cum variolæ ſunt fractæ, accipe drachm. ij ſeſami, & pone cum ea parum ſalis combuſti, & ſparge ſuper cutim ejus ipſum, & ſtet ad ſolem per unam horam; & poſtea lavetur cum aqua decoctionis roſarum, myrti, balauſtii, & parum ſalis, & poſtea fumigentur cum foliis myrti, & tamariſci; & poſt duos vel tres dies, inungatur ex luto albo & pauco ſalis, & dimittatur per medium *diem*, & abluatur & eodem modo ut prius. Et cum ceciderint cruſtulæ, accipe oryzam, & lava & deſicca ipſum, & tere & pone cum eo parum croci, & diſſolve cum aqua & inunge, & dimitte per medium diem: & ſi cutis ejus eſt ulcerata, pulveriſa deſuper pulverem aromaticum album, & cum incipiunt deſiccari, detur in potu lac camelarum. *Et ſi ejus venter eſt laxus, detur in potu aqua decoctionis* Sauic *hordei & rizi cum gummi.* Et ſi apoſtematur patiens, & ejus vox ſit rauca, & ſuſtinet multam deſiccationem, & hoc fuerit in ſeptimo, erit mortale. Et variolæ nigræ & multum rubeæ ſunt de ſignis malignis; & ſimiliter blactiæ & omnes aliæ res exſiſtentes in exterioribus: & in cura blactiarum, reſpicias capitulum de cicatricibus.

Urina hominis micta per duos dies confert blactiis. Qui collyriſat oculos ex aqua roſacea in

[l] *Darmedi* --- idem forte cum TARMADI pag. 298.

qua fuit ſumach madefactum, præſervat eos a variolis.

Medicina faciens velociter adparere variolas, blactias & morbillos & omnes ſpecies *Bothor*; & accelerat ipſas, *præcepto* DEI, ad exteriora Rec. ficus ſiccas N°. vij, paſſularum enucleatarum drachm. vj, laccæ mundatæ a lignis ſuis (*an drachm.* jſs?) unc. jſs. & tragacanthæ (*an drachm.* iij?) unc. iij, croci ſcrap. ij, lentium excoriatarum drachm. v. Coquantur in duobus rotulis aquæ uſque ad medietatem, & detur de ea in potu.

In [*m*] libro *Abdus*, *de memoriali*: medicinæ mirabiliter conferentes cicatricibus variolarum, & omnibus aliis cicatricibus. Accipe cicera nigra, conchulas combuſtas, ſtercus bovinum combuſtum, & tere, & confice cum aqua, & inunge cicatrices.

Alia: Rec. hordei & ſtercoris pecorini ana; coquatur hordeum cum aqua uſquequo excorticetur, & tere ambo ſimul & diſſolve ea in aceto vini, & pone ſupra locum.

Alia: Accipe aquam ungularum arietis cum aſſantur & inunge ex ea locum, & omnino & procul dubio cicatrices delet.

Alia magis mirabilis & experta. Pinguedo aſini diſſoluta in aqua roſacea, & inuncta fricata ſuper locum.

Filius MESUE: cum in ſynocha adparet rubedo oculorum & faciei, & multa capitis & corporis ponderoſitas, pruritus narium, ſternutatio, & dolor in toto corpore pungitivus, pro-

[*m*] *In libro* Abdus --- cujus ſit incertum eſt.

gnoſticandum eſt de variolis; & hæc ſunt ſigna ipſarum; & ſit intentio tua in principio circa oculos, collyrizando eos cum aqua roſacea in qua madefactum ſit ſumach, & præſerventur a variolis. Et cum adparierint, inſtilla in oculis aquam decoctionis coriandri ſicci, in qua ſit antimonium fricatum, & colata in ea adponatur parum camphoræ, & ſtudeas ut attrahas variolas ad exteriora, priuſquam tremor cordis & nauſea superveniant, dando in potu hanc medicinam. Rec. Laccæ rachm. v, lentium excorticatarum & ablutarum drachm. vij tragacanthæ drachm. iij. Coquantur in medio rotulo aquæ uſque ad medietatem & coletur: & cibetur æger cibis ægritudinum acutarum; *& laxetur venter, ſi neceſſaria eſt evacuatio cum* [n] *aqua fructuum; & poſt ſeptimum cave a ventris laxatione, & declina ad ſtyptica, quoniam in fine hujus morbi conſuevit evenire fluxus.* Et in hyeme accende ignem coram patiente cum lignis tamariſci, quercus & vitis: & cum vides variolas deſiccari, unge cutim cum penna ex farina oryzæ, panici & pauxillo croci diſtemperata cum aqua roſacea, & ſi aliquid ex eis adparet in (*moribus*) naribus, pone in eis ceratum factum ex oleo, aceto, vino, cera & tragacantha; & ſimile fiat in ore; & non debetur ei poni quouſque variolæ erunt deſiccatæ, & febris omnino declinaverit: & ne appropinques corpori oleum, & maxime in principio dubitando, quoniam prohibet earum exitum, & reddit eas profundas; & ſequitur aliquando ex hoc tremor cordis & mors.

---

[n] Vide not. r, pag. 286.

Inquit Judæus: blactiæ ſeu morbilli crocei coloris ſignificant choleram; viridis & nigri ſignificant vehementem ſanguinis aduſtionem, & ſunt mortales. Et cum in febre multæ caliditatis, accidunt ſoda, dolor gutturis, tuſſis, rubedo faciei & oculorum, ſternutatio, pruritus narium & ſudor, ſunt hæc ſigna variolarum; & ut pluries adparent in tertio, & tunc febris eſt lenis: & poſſibile eſt quod adpareant in primo & in ſecundo; & blactiæ minus variolis, & variolæ nocent oculo plus eis, & præcipue ſunt malæ: & fricetur antimonium cum lacte, & addatur parum camphoræ, & colíyrizentur exinde oculi: & poſt ſeptimum adſperge ſupra cutim aquam cum ſale & parum croci, & poſtea inungatur ex ſandalo, roſis, lentibus, & parum camphoræ pulveriſatis & diſtemperatis cum aqua roſarum. Et in principio non exhibeas frigida, quoniam includunt materiam, & prohibent exitum ipſarum; ſed detur in potu ſuccus fœniculi & apii, quoniam accelerat earum exitum; & fiat gargariſma cum ſucco granatorum, ut præſerventur guttur & os. Et poſtquam exierint, exhibeas trochiſcos ex acetoſa & pſyllio torrefacto: & ſi ſentis aliquid in ore, detur butyrum recens: & in hyeme ſemper ſit coram eo ignis ex lignis tamariſci, & jaceat æger ſuper mataracium panni rari plenum farina oryzæ. Et variolæ accidentes poſt febrem ſunt ſalubriores venientibus ante febrem: & in blactiis ceu morbillis eſt ſputum groſſum ceu ſpiſſum, rubedo oculorum & faciei, ſiccitas linguæ, elevatio temporum; & accidit in ea ſimiliter abominatio & vomitus choleræ ſimul & ſemel, & in variolis paulatim; & blactiæ violaceæ & virides ſunt mor-

tales: & proprie cum ſubito occultantur, & cum redeunt cum abominatione & nauſea, eſt ſatis verendum. Et variolæ nigræ, multæ, ſiccæ & porrinæ, occupantes cutim fere totam, ſunt mortales. Et fumiga variolas humidas cum foliis myrti, & line cicatrices cum raſura radicis cannarum & lignorum ſalicis *quæ* madefacta *ſint* in aqua.

GEORGIUS: cum ſanguis ſuperabundat, & ſuperaccenditur, & corrumpitur, accidunt variolæ & blactiæ; & ut plurimum, cum prævalet aer meridionalis: & præcedunt has, febris acuta vehemens, ſoda, ponderoſitas, rubedo faciei, tuſſis, deſiccatio linguæ & ſalivæ, inflatio venarum totius faciei, & ſputum groſſum, ſpiſſum, viſcoſum, pruritus narium, ſternutatio, rubedo, pruritus & lachrymæ oculorum, inflatio faciei, impedimentum anhelitus, nauſeativus vomitus, defectus adpetitus, & ponderoſitas totius corporis, & in profundo. Et cum videris hæc ſigna, vel aliqua ipſorum, poteris prognoſticare de variolis vel morbillis: & poſſibile eſt quod ſint cum febre laborioſa, difficilioris curæ; & poſſibile eſt quod ſint *cum* febre exſiſtente leni: & intentionis meæ eſt, quod non curentur in principio cum rebus multum frigidis, quoniam accidit ex hoc nocumentum mortale. Et ſi eſt hyems, detur ſuccus fœniculi & apii cum *Gelengiabin* (melle aut ſaccharo roſato); ſi vero tempus eſt calidum, dentur aqua hordei, lentes, melones, & granata, cucurbitæ, & ſimilia. Et teneat æger quolibet die ſuccum fœniculi in ore, cum pauco croco, & ſaccharo albo: & inſtilletur in oculis ejus *Elmuri*, ut nihil poſſit oculis evenire, & collyrizentur cum antimonio & camphora; & ca-

veat ab acetoſis & ſalſis, ne inducatur ei tuſſis & ſitis; & ſimiliter julepus, *ut non laxetur ejus venter, & ſi venter eſt laxus, detur ei rob myrtillorum & citriorum, cum trochiſcis de ſpodio.* Et fluxus ſanguinis de naribus eſt criſis in eis bona. Cum vides blactias violaceas & virides, poſt adparitionem occultari in interioribus partibus corporis, prognoſticare *potes*, quod patiens ſyncopiſabit & morietur. Et ſi variolæ ſunt parvæ & ſiccæ, & implentur aqua, & ſunt propinquæ ad invicem, & ſunt ſiccæ & duræ ut porri, & ſcinduntur, accidit eis ſyncope, nauſea, & ſenſus permixtio: & patiens variolas multæ humiditatis, juceat ſuper mataracium panni rari, pleni farina *oryzæ* & panici; & fumigetur cum foliis myrti & olivarum ſiccis; & cum ulcera ſunt deſiccata, accipe raſuram radicis cannarum & lignorum ſalicis, & miſce cum aqua, & pone *Merdaſengi*, ut non cicatriſetur locus.

ACHOROSOCHOS [*o*] ait: ſordities domus apum mixta cum farina hordei, deſiccat variolas.

AARON [*p*]: de ſalubrioribus variolis, ſunt albæ & rubeæ; & de malignioribus, virides & nigræ, & poſt has croceæ. Cum manifeſte adparent variolæ & morbillis & febris incipit defeveſcere, eſt ſignum ſalutiferum; & illæ quæ adparent in furore febris ſunt mortales: & cum incipiunt adparere variolæ, cavendum eſt a frigidis, quoniam retinentur in interioribus, & dandus

[*o*] Quis ſignificetur per illud monſtrum nominis a FERAGIO frabricatum, neſcio.

[*p*] Vide not. h. pag. 282.

dandus eſt ſuccus fœniculi & apii, ut trahantur ad exteriora: & fiat gargariſma ex aqua decoctionis lentium & ſumach, ut nil nocivum poſſit ori & gutturi evenire. Et cum ſunt digeſtæ, jaceat patiens ſuper farinam oryzæ, & fumigetur cum foliis myrti & olivarum, & deſiccabuntur.

Dico, variolæ ſunt ex ebullitione ſanguinis, & proprie cum fit mutatio a pueritia ad adoleſcentiam, & accidit cum eis caliditas violenta & malus odor, & hoc eſt, cum patiens eſt calidæ complexionis: & poſſibile eſt quod accidant bis vel ter, & præcipue cum ſanguis eſt acutus. Et neceſſe eſt quod ſanguis pueri de facili perveniat ad hanc diſpoſitionem, & pueris magis quam puellis: & debes præſervare puerum paratum ad variolas & morbillos in vere & in hyeme, ne incidat in febrem acutam: & debes mitigare & exſtinguere fervorem ſanguinis in quantum potes, & ipſi tenuem diætam imperare, quæ ſit de generantibus ſanguinem ſubtilem. Et cave, ne ſuperficies ejus corporis ſit ſpiſſa, ut extenuetur fricatione, exercitio, & balneo in æſtate; & in autumno non indiget tanta cuſtodia, ſed minori, quia in æſtate fit magna corporis diſſolutio, & in autumno ſanguis eſt paucus, & pueri parati ad variolas & blactias ſunt albi & rubei, & habentes capillos *blundos* (albos ſc.); & macilenti & nigri ſunt remoti ab eis.

Filius SERAPIONIS: & melius quod eſt in variolis, eſt phlebotomia uſque ad ſyncopen, ſi vires ætaſque permiſerint; ſin autem, (*minus*) fiat caraſſatio, (*ſcarificatio*) & ſtilletur in oculos aqua decoctionis ſumach, aut ſuccus pulpæ granatorum: & cum incipiunt adparere variolæ, tunc danda eſt

aqua decoctionis laccæ, ut facilis fiat earum exitus; & poſtea aqua hordei & lentium, & cibus ejus ſit [q] *Mebs* & ſimilia. Et in hyeme accendatur coram ægro ignis ex lignis tamariſci & vitis: & cum incipiunt deſiccari, line ſupra cutim farinam oryzæ, panici, radicem cannæ Perſianæ, & cretuin (*An creta?*) & aquam roſaceam.

[k] Vide not. g. pag. 231.

Hiſtoria [a] *filiæ* HEBELTHUSEYN *filii* HABUHE, *ut a* RHAZE *traditur in* Continentis (Edit. Brix. 1486.) Cap. IV. Libri 18. Edit. Venet. 1542. *folio quarto, ab initio, Col.* 2.

FILIA HEBELTHUSEYN filii HABUHE fuerat aſſueta bibere lac camelorum abſque meo conſilio, & ſentiebat inflationem propter lac: accipiebat de *Diamuſco*, corpore non purgato, nec phlebotomato; ex occaſione lactis incidit in febrem continuam de ſanguine, & adparuerunt ſigna variolarum; & poſt quartum, variolæ in ejus corpore exiverunt & ipſa miſit ad me, quod deberem ipſam curare. Et in principio collyriſavi ejus oculos cum antimonio diſſoluto in aqua roſata; & propter hanc cauſam non

(a) Vide FREIND de *purgantib.* 4to. pag. 95 96. HIPPOCR. Gr. Lat. 8vo. pag. 74-76. Opera Lat. fol. pag. 335 & 267.

exiverunt variolæ in ejus oculis, de quo erat valde verendum, ſed circa oculos erant multæ, ſpiſſæ & groſſæ; & miratæ ſunt vetulæ ſtantes ad ejus ſervitia, de ſalute & præſervatione oculorum. Et pro potu aſſiduo ordinavi ptiſanam, & ſimilia. per aliquod tempus. *Et venter ejus erat conſtipatus, ut moris eſt in hoc morbo; & meliorata eſt. Remanſit tamen aliquid reſidui febris acutæ; putavi quod eſſet reſiduum humorum non eductorum per egeſtiones: & non potuit ſubito & ſemel in totum purgari, propter debilitatem virium quam experiebatur. Uſum tamen aſſiduum ipſi præcipi* [b] *aquæ fructuum per quindecim dies in aurora, & ptiſanam in prima hora diei; & aſſellabat* (egerebat) *ex hoc bis in die, & fuit mundata completa mundatione.* Et poſt quadraginta dies adparuit in urina completa digeſtio; & poſt quinquaginta, fuit liberata in totum.

[*b*] Vide not. n. pag. 233.

FREIND *Opera.* fol. pag. 335. — *Epiſt. de Purgantib.* 4to. pag. 97.

„ Eandem curandi viam, atque iiſdem fere
„ verbis præcepit RHAZIS ſectator, utcunque
„ magiſtri immemor, ALSAHARAVIUS: al-
„ vum ſcilicet, morbo jam *ad ſtatum* perducto,
„ (*a*) lenire jubet, maxime ſi vires conſtiterint,
„ pulſuſque virtutem habuerit, eaque remedia
„ ut hac in re præ aliis idonea commendat, quæ
„ calorem minus excitent ".

(*a*) Cap. X. Partic. 13. i. e. Edit. Anguſt. Vindel. A. D. 1519. fol. 142. Col. 2

Ex Codice Laud. N°. 167. A.

Cui titulus,

LIBER ALTASRIPH.

Auctore ALZÀHARA, alias ALZ'ARAVI.

Diæta ſive alimenta variolis laborantium.

OPORTET ut ægroto bibenda præbeatur aqua decoctionis hordei, arte præparata, uti bibitur in morbis eorum, qui morbis *acutis* calidis laborant. *Atqui ſi fuerit febris debilis & interna, & non ſit* (natura) *alvus laxa, huic admiſceatur quaſi dimidium ſucci malorum Punicorum acidorum, contuſorum cum granis ſuis, nequaquam vero cum pulpa eorum; (a qua ſibi caveat; de pellicula tenui nil curet); ſumat etiam cremorem lactis & butyrum recens, hæc enim ſolvent alvum.* Et ſi adfuerint ægroto vigiliæ, admiſceatur dimidium ejus (*hordei* ſc.) papaverum.

Quodſi contra valde laxa ſit alvus, admiſceas illi [a] *Tebâshir & gummi Arabicum.* Succus autem cucurbitarum & peponum, & cucumerum & his ſimilia, variolis quidem minus proficua ſunt, (atqui in morbillis conveniunt magis, & præcipue ſunt utilia;) niſi febris ardens ſit admodum, & cum variolis adſint malignitas & vi-

[*a*] Vide not. n. pag. 233.

giliæ vehementes. Id enim bonum & proficuum eſt in variolarum morbo, quod refrigerat, & ſiccat, & condenſat ſanguinem, ut ſuccus malorum Punicorum, & ſuccus uvæ acerbæ & his ſimilia, uti memoravimus. Proficuæ ſunt etiam variolis laborantibus lentes decorticatæ, quando has bibunt cum aqua frigida.

Regimen alvi variolis laborantium.

ALVUS *porro laxa eſt plerumque in fine morbi, & præcipue in morbo* Alhatzbeh, (*morbillis*): *& ob hanc cauſam neceſſe eſt ut longe amoveatur quodcunque ſolvat alvum, poſtquam pervenerit morbus ad finem,* (Κρισιν, *perfectionem*). *Atqui ſit alvus ægrotantis ſicca, in principio morbi & ante finem neceſſe eſt illam ſolvere & præcipue in tempore vehementiæ febris ardentis, & doloris capitis, ut levis reddatur natura, & minuatur humor variolarum, poſtquam videris ægroti firmas eſſe vires,* & corpus ejus non eſſe ſiccum, ſed inflatum, cum *albore coloris & fortitudine pulſus. Et ſi hæc ſint poſt venæ ſectionem, ſolvatur alvus cum decocto myrobalanorum chebularum; vel bibat ſuccum malorum Punicorum, tritorum cum carne eorum cum ſaccharo: hæc enim meliora ſunt, cum quibus alvus ægroti ſolvi poſſit, quæ non excitabunt febrilem ardorem. Quodſi alvus laxa ſit, nulla res ei adhibeatur, laxans & alvum ſolvens.*

Atqui curatio ejus, ſi ſoluta ſit alvus, erit, ut bibat vice aquæ hordei, aquam decoctionis Sauic *hordei,* i. e. *farinæ hordei torrefactæ. Et ſi duraverit* (ventris fluxus) *coquatur una,* Sauic *granorum mali Punici. Et ſi ſit alvus magis laxa;*

bibat gummi Arabicum cum Tebâshir, poſtquam trita fuerint uti collyrium; hæc inſpergantur in quatuor uncias aquæ decoctionis hordei, & bibat totum. Et ſi aucta ſit alvi ſolutio, curetur iis quæ memoravimus in morbo diarrhæa. Quodſi diarrhœa diuturna fiat, bibat Al-Raib *valde acidum, amoto butyro, quod dicitur* Al-Zabd, *cum pane biſcocto bono, & pauxillo gummi Arabici vel* Tebâshir.

Ex Codice M L. *Arab.* (*charactere Syro*) *ſatis antiquo. Olim.* LETHERLANDI.

POST venæ ſectionem, bibat aquam hordei, cui incocta fuerit tertia pars lentium; & lac, in quo ſunt zizipha rubra, & ſebeſten, cum ſyrupo papaveris. Alatur cucurbitis; & ſi cunctetur exitus variolarum, ſumantur quinque ficus, & quinque drachmæ lentium excorticatarum, & drachma dimidia ſeminis fœniculi; coquantur in libra una aquæ ad uncias quatuor cum dimidia, cui admiſceatur ſuccus mali Punici, & bibat. *Quodſi alvus ſicca fuerit, detur* (a) Terengiabin *cum aqua hordei, vel medulla caſſiæ fiſtulæ, vel lohoch prunorum Damaſcenorum. Quodſi alvus fluat, bibat aquam* Sauic *hordei cui incoctæ ſint, baccæ myrti, cum gummi Arabico & luto Armeno, & trochiſcis* Tebâshir *reſtringentibus, & rob cydoniorum; & ſi adſit tuſſis, rob myrti etiam.* Cibus ſit milium coctum cum *Sauic* hordei; & comedat mala Cydonia & mala. *Evitanda eſt alvi ſolutio poſt ſeptimum diem.* In prin-

(a) Vide not. g. pag. 262.

cipio *morbi*, in oculum inſtilletur aqua roſarum, in qua infuſum fuit ſumach; & (*b*) aqua camphoræ: & ſi puſtula adparuerit in oculo, in illum inſpergatur antimonium. Et quando ad finem (κρισιν) ventum eſt, coram ægro accendatur ignis ex tamariſco & ſarmentis vitis, ſi ſit hyems: quod ſi æſtas ſit, fumigetur cum ſandalo & myrto; & ponatur ſuper ſtragulum ejus, roſa molita. Et quando inceperit deſiccatio, inungatur cum ſale & olleo ſeſami, & *ſinas* per horas quinque; dein abluantur aqua in qua incocta ſit myrtus; poſtea inungatur farina oryzæ, & milii, & pauxillo croci; quæ ſuper illum linquantur per diem unum; dein abluantur cum aqua furfuris.

(*b*) *Et aqua camphoræ* ---- Vetus Interpr. " & aqua coriandri recentis." Vox in Codice meo (ait Cl. CHANNING confuſe ſatis deſcripta eſt, & hæreo.

Trochiſci *Tebâshir*, pag. 312 ab EBN GIAZLA memorati: vide MESUE fol. 153. col. 1. 2.

Ab HALY ABBATE paulo aliter; *Cod. Laud.* A. N°. 115.

Hæc eſt deſcriptio trochiſcorum Tebâshir *adſtringentium.*

Roſarum rubrarum drachmæ ſex.

Seminis oxalidis ſylveſtris drachmæ quatuor.

Gummi arabici, Tebâshir, & terræ Cypriæ, ſingulorum tres drachmæ.

Berberum & baccarum myrti, ſingulorum quatuor drachmæ.

Croci drachma.

Omnia bene contundantur, & cum mucilagine ſeminis pſyllii formentur trochiſci a pondere drachmæ unius ad drachmam unam & ſemiſſem.

HALY EBNO'L ABBAS *Perſa magus* floruit circa A. D. 980.

EBN GIAZLA —— obiit A. H. 473. A. D. 1080. vide *Hiſt. Dynaſt.* Lat. pag. 241.

ALSAHARAVIUS, *Medicus Cordubenſis* —— obiit A. H. 500. A. D. 1106. vide CASIR. *Catalog.* pag. 173. col. 2.

EBN BEITAR —— obiit Damaſci A. H. 646. A. D. 1248. vide CASIR. *Catal.* pag. 278.

FINIS.

ALEXANDRI TRALLIANI
DE LUMBRICIS
EPISTOLA.

Serius acceptam hoc loco reponimus, quæ melius ante RHAZEUM *poſita fuiſſet. Eam* MERCURIALIS *primum cum* variis lectionibus *Venet.* 1570. 4to.; *deinde hic cum libro de morbis puerorum Typographi recuderunt.*

PER litteras a me THEODORE amiciſſime efflagitaſti, ut puero tuo jam a ventris animalibus jugulari periclitanti, medicamento aliquo ex iis, quæ lumbricos necant, miſſo ſuccurrere velim.

Atqui non hoc ſolum vos ad me ſcribere opus erat, ſed & ægrotum ipſum conſpici, ſi febre tentetur, ſi vomitus, aut ventris fluxus adſit; necnon, quo pacto fame ſitive teneatur: adhæc vermium ipſorum inſpectorum formam; ac (ut univerſim dicam) omnia enarrare conveniebat, quæ affectionem præſentem comitantur, quæque eamdem præceſſerunt. Sic enim & tibi ſcripta noſtra viſa fuiſſent faciliora, nec plura ſimul congerere mihi neceſſum fuiſſet. Nunc vero cum ſcriptis tuis nil definitum habeatur, non unius tantum, ſed multorum conſideratione habita, ſententiam meam exponere cogor.

